DE LITE RARVM LVDIS RECTE APERIEN-DIS LIBER.

[redacted]



ARGENTORATI APVD VVEN *delinum Rihelium.*

1539



IOANNIS

STVRMII AD

Prudentißimos uiros, ornatißimos homines, optimos ciues, Iacobum Sturmium, Nicolaum Cnipsium, Iacobum Meierum, de literarum ludis recte aperiendis, liber.

De Literarum utilitate.



D *nonas Martij, cum audiretur factum esse Senatusconſ. quo uobis emendatio puerilis diſciplinæ, et inſtitutio ludi noui mandata eſſet, incredibilis lætitia data eſt uiris bonis.* Ac *quoniam uos huius inſtituti autores eſtis, propè omnes ad uos pertinent et gratulationes & laudes.* Ete*nim uos eam rem ad Senatum detuliſtis, uobis Senatus eadem de re quod uideretur ſtatuendi poteſtatem fecit, uos conſtituiſtis, à uobis ſuſcepta res eſt, à uobis inſtituta & confirmata, uos fundamenta iecistis ſalutaris decreti, & ſanctiſſimæ diſciplinæ.* Mul*ta enim homines à natura communia uicia habent: magna nobiſcum barbaries naſcitur, quidam etiam mendoſi mores & ætatum & nationum & ſtudio*rum Viciositas naturæ humanæ.

rum

rum [illegible] sint. Itaq; quisq; peculiari natura [illegible] gitur. denique nostris temporibus imprudenter in deterrimam consuetudinem ipsis moribus delapsi sumus, quibus mali nisi remedia inueniantur, quid poterit esse in ulla repub. aut syncerum, aut diuturnum? Quamobrem mihi quidem necessarium certe uidetur in ciuitatibus ueteres disciplinas restitui, quæ quod aut in more, aut natura, aut consuetudine, aut ætate, aut opinione, aut ingenio, uiciosum est, tributim deleant? Resp. enim *rectæ constitutæ ut distinctos artifices, ita diuisas quoq; disciplinas habere debent: & manent adhuc in plerisq; uetusti moris exempla, quæ tametsi deprauata sint, tamen indicant, quid illi egerint, qui ante nos resp. recte curarũt. Sed cum honestæ actiones ad omnes spectent, nemoq; sit quem non secundum naturam atq; uirtutem uiuere deceat: nullum tamen est hominum genus, quod disciplinam sanctiorem ac seueriorem instituere, & retinere debeat quam literatorum.* Ni*hil enim est in natura rerum, quod ita mores erudiat, ut literarum studia, nihil tam in omnes partes suas utilitates habet, quàm humanitas atq; doctrina. Cum singulis enim priuatim prope semper ciuibus utile fuit habuisse liberos in artium liberalissimarum disciplina uersatos, tum publice fuit, omnibus ad rerum conseruationem necessarium, extitisse nonnul-*

Literatorum disciplina.

nõnullos, qui in periculis & discriminibus non solum utiliter, uerum etiam sapienter illis quibus fuit opus consulerent. Ac si quæ fuerunt unquam tempora, quibus resp. propter bonorum & sapientum raritatem, & malorum atq; imperitorum multitudinem, ac uarietatem conflata, plurima maximáq; pericula uiderunt, nostra certe talia sunt, quibus stulticiæ, & cupiditatis plura, quàm prudentiæ, atq; sanctimoniæ uestigia extent: At non tranquillis modo temporibus, uerum afflictis etiam rebus antiquißimæ potentißimæq; gentes, quod nos minime facimus, sapientiæ locum esse uoluerunt. Et ante tẽpestates, ocijq; perturbationem literarum ac sapientiæ studia coli debent, & in ipsis fluctibus, non abijci aut opprimi, ut & ante pericula, prouidere mala poßimus, & in ipsis difficultatibus si sint diuturnæ, consilio non destituamur. Sed fit sæpenumero, ut ne illa quidem uitemus, quæ prouidentur, quod cum dedecore ac periculo sint coniuncta: ex quo genere hominum Medea illa est,

Video meliora proboq;.

Deteriora sequor. Non multum igitur cognitio & scientia ciuitatibus adfert, nisi eodem exercitatio & uirtutis disciplina accedat, qua eadem quæ di dicimus, agere consuescamus. Ibi enim demum uera sapientia est, ubi neq; in oratione inconstantia, neq; Sapientia

in opinatione error, neq; in actionibus dedecus ullũ aut aliqua macula apparet. Ac *tametsi non solum doceri uirtus, uerum etiam exerceri uelit, tamen utiles semper hominum societati extiterunt, doctores bonarum rerum, multaq; cognoscenda, priusquam uidere poßimus quid agendum sit & quid deceat. Non secundum uirtutem uiuet qui ignorabit, quid commune sit omnium, quid multorum, quid propriúm, quid laudabile sit in natura, quid in consuetudine honestum. Quæ enim ignorantur, & quæ uicia concipimus imprudentes, ea uitare non possumus: indicata uero & repræhensa, etiam si plurima sint, tamen detrahuntur disciplina. Sed cum tria sint, eaq; magna quæ prudentiam cum sapientia pariant,* Natura Vsus Doctrina. *natura, & rerum usus & doctrina: duoq́; illa propè omnibus hominibus sint communia, tamen eiusmodi sunt, ut nisi tertium illud hoc est doctrina & disciplina coniungatur, neq́; excoli alterum, neq; alterũ ad res poßit adhiberi.* Ingenij *enim uim* Deus *unà cũ uita nobis tribuit, neq; usus in homine nullus esse potest, cui uita longior data sit, & aliqua sit præditus industria. at utrunq; præstantius fit, si adhibeatur literarum magister, cui cũ naturam bonam* Deus *largitus est, utilis semper & sæpe salutaris ciuibus extitit: cum uero deprauatis ingenijs, literarum elegantia non recte adhibita est, ibi mala frequenter,*

neq; ra-

neq; raro perniciosa exempla prodi solent. Nihil enim doctrina uehementius est: & ad iuuandum & ad nocendum summas uires habet, Multi prudentes regum & tyrannorum minas contempserunt, sine molestijs: qui poetarum odia, & oratorum clamores non potuerunt sustinere. Quamobrem non artificiose solum, sed salubriter etiam artes & disciplinæ tradendæ sunt, quorum utrunq; nostris temporibus est uiciatum. Nam permulti neq; modum neq; ordinem in docendo talem sequuntur, qualem res ipsa requirit, & morum non paucis in locis eiuscemodi habetur ratio, ut uicia uel non prouideantur, uel excusentur, propter inueteratam consuetudinē. Recte igitur Senatus noster qui huic disciplinæ præfectos uos esse uoluit, uosq; comparauit qui uultis, qui studetis, qui potestis quod optimū est libero populo consulere. Et quoniam à uobis pars quædam mihi huius consultationis mandata est, statui meum consilium & cogitationem hac scriptione explicare, atq; etiam aperire quod genus ludorum, optimum, & quæ docendi ratio, mihi expeditissima esse uideatur. Doctrina literarum

Quis studiorum finis.
De Magistratu, de literarum magistris.

O*Ptimum igitur ludi genus est, in quo & doc-*

Doctrina & religio

Linguæ informatio.

trinæ & morum ratio diligens habetur. Nam *tametsi studiorum nostrorum finis sit rerum cognitio, tamen si à doctrina & literis uita dissideat, quid ut ante dictum est, utilitatis habet elegans ac liberalis institutio? Pietas igitur atq; religio in scholis proposita sit, & ad eam iuuenilis animus cultura literarũ erudiatur. Sed rerum cognitio absq; sermonis elegantia barbara & fœda esse solet, & simul cum orationis deprauatione irrepere in homines morosam quandam uidemus sapientiæ persuasionem. quare uidendum est, ut prima liberorum ætatula mature ad linguæ informationem dedatur. Ad loquendum enim homines quàm ad cogitandum iudicandúmq; promptiorem naturam habent: & quod unicuiq; aptum est, ab eo principium in erudiendo debemus ducere. Sed ut loqui ita etiam recte facere pueri facillime assuescunt. Nulla enim adhuc tum uitiorum habitudo firma coaluit, ipsaq; principio uitia depelli facilius nõ admissa, quàm diu admissa deponi tandem possunt. Itaq; coniuncta sit linguæ primis annis uitæq; moderatio, ut quæ post comparanda sunt facilius assequẽtur, excellentem doctrinam, & religionem: quarum altera homini necessaria est, altera huic ipsi quæ est necessaria, iusta debitáq; affingit ornamenta. Verum quod in pueriles animos insitum uolumus id etiam in horum magistris*

oportet

oportet illuminatum esse, ut doctrina & pietate cæteris hominibus antecellant. Nemo enim imperitũ libenter sequitur, & maior fides uiro bono quàm malo à plærisq; habetur. Ac tametsi prima spes reposita sit in uirtutis atq; ingenij indole, qua pueros præditos esse oportet, altera in magistris, tamen nisi magistratus ac parentum studia coniungantur, sæpenumero diligentia præceptorum remittitur, & extinguitur in adolescentum animis industriæ oblectatio. Quare ad Reip. fœlicitatem pertinet, magistratum erga eos qui erudiendæ iuuentuti præficiuntur liberalitatem exercere: & priuatim domesticis rationibus utile est, patrem uelle quàm optimos esse liberos suos, eaq; in re literarum doctoribus adesse. Sed in his deligendis tria sunt spectanda, studium erga res humanas, uirtus atq; doctrina. In multis enim præclara quædam doctrinæ signa apparẽt, tamen ita sunt uiciosis moribus, ut exemplo esse nõ debeant, neq; pauci sunt ex bonis, qui priuatum domesticúmq; ocium, publicis occupationibus præferant: quò magis uidendum est, ne doctorum diligentia, pecunia magis excitetur quàm æstimetur consyderatione ingenij, & animaduersione uitæ anteactæ. Raro enim in illis constantia & perfecta uoluntas est, quos pecuniæ studium prouocat, qui uero ultro incitantur, & dedecus fugiunt, his maior fides

Magistri literarum

Magistratus & parentes.

est habenda. Quocirca literarum doctores, non solum doctrinam habeant, uerum etiam uirtute prædi ti sint, & cupidißimi sint patriæ, & communis bonorum officij. Nam tametsi tria sint quæ animos hominum ad res præclaras excitare solent, amor honesti, & laudis auiditas, & pecuniæ studium: tamen si delectus uiri prudentes non solum dissimilibus in rebus, uerum etiam ad illa quæ eiusdem propè naturæ sunt, adhibent, est etiam in hoc loco cura suscipienda ut cum eorũ facultas datur, qui optime poßint præferamus semper eos, qui cum efficiendi facultate coniunctam uoluntatem studiumq; habent. Etenim laudis cupiditas etsi sæpe laudata est, tamen pluri mis in locis cum uicio in quo sunt ambitiosi coniungitur. & auaricia inexhaustaq; diligentia in comparandis opibus non potest à bonis non uituperari. at excitatio animi qua sponte homines, ad uirtutem inflammãtur, summorum semper uirorum retinuit cõprobationem. Sed nemo bonus, qui non in cæteris quoq; uirtutis signa dari gaudeat, & sæpe in multis iniquorum ingratitudo minuit industriam. Liberalitatem excellentia ingenia, & exercere uolunt, & experiri. Neq; quisquam est omnium, qui perpetuo inuitis atq; ingratis prodesse poßit. Graui dolore uirtus afficitur cum se à uicio superari uidet, & quanquam dilatari concupiscit, tamen etiam tum

Liberalitas magistratus erga literatos.

cum contracta est, habet quo se consoletur. Qui uult, qui cupit; eidem uirtus adest semper, qui uero recusat, qui contemnit, is non deseritur a quo debebat conseruari, sed per quod incolumis esse poßit, aut refugit aut non amplectitur. Itaq; *non solum beneuolentia habenda studiosis est, uerum etiam muneribus & quasi stipendijs afficiendi & salutaribus decretis sunt ornandi, quæ egregiæ uoluntatis solēt significationem habere.* Electionem *igitur & liberalitatem in magistratu requirimus. Liberalitas eō extendi debet, & ut ne quid rerum necessariarū desit magistris, & ut quàm plurimi non solum doctores literarum, sed etiam parentes et adolescentes excitentur. Quæ enim honorantur, ea celebrari solent, quæ uero contempta aut neglecta iacent, hæc etiam si optima sint, tamen raros excultores habent.* Deligendi *uero sunt ut dictum est, qui & doctrinā tantam habent ut poßint, et ea natura diuinitus ipsis data est, ut cupiant publicas commoditates amplificare.*

Quis modus sit & numerus stipendiorum & unde illa petenda.

E*St etiam certus numerus, & definita ratio, in dandis numerandisq; stipendijs tenenda,* P*rimo necessaria decernenda sunt, deinde ueniendū*

ad ea

ad ea quæ in amplitudinem & dignitatem conferun tur. Necessaria *uoco grammaticorum, neq; ullus lo cus esse debet, præsertim in* Christianorum *conuen ticulis, ubi non sit, qui elementa latini græciq; ser= monis tradat.* Sed *quæ ciuitates plus possunt, illæ eti am comparent, qui disserendi dicendiq; artes doce= ant.* Magnarum *uero dignitas postulat, ut maiorum artium professores constituant, atq; illis qui minus possunt theologos & medicos, & iurisperitos sup= peditent.* Modus *autem in tribuendo ita definiri po test, ut liberalitatis ratio non uioletur: ut ne quod alteri deest, in eo alter abundet & effluat.* Est *enim in hoc magnum signum* Reip. *non recte constitutæ. deinde qui necessarijs deficiuntur, atq; illis carent, si ne quibus iustum in literis ocium non conceditur, sæ pe coacti egestate ab officio discedunt, multa remis= se, aliqua etiam auare, neq; indecore nulla & non conuenienter committunt.* Numerus *uero eiuscemo di constituatur: ut primo ad ciuitatis opes, & ad uti litates studiorum referatur: post etiam ad honesta= tem dignitatemq; ratio reuocetur.* Florere *itaq; eam* Rempub. *literarum doctrina putabo, in qua, quiq; necessarij sunt, & qui possunt ornamenta ciui bus adferre, non desunt, & in qua nemo decedit, ne= mo etiam intermißionem facit, qui uel successorem uel adiutorem pro se non relinquat.* Quæ *enim pos=*

sunt ciui

sunt ciuitates statim de principio duos in utroq; genere comparent, qui doctrina excellant, & quoad possunt, efficiant, ut suis opibus perfectæ, & ipsæ suis uiribus contentæ esse uideantur, nihil etiam aliunde comparent, quod domi poßint inuenire. Satis ad hanc rem quam proposuimus facultatum esset, si sacræ opes recte dispensentur, atq; utinam cæteræ ciuitates nostræ Reip. *exemplum sequantur, ut si omnia quæ fieri debeant, efficere non poßint, tamen tantum, quantum possunt, quantulumcunq; sit, uelint elaborare. Tria sunt quæ in omni re ardua & magna sunt necessaria, unum ut uelint, alterum ut quod uolunt poßint, tertium ut quod possunt, postquam susceptum opus est, efficiant. Sed medium illud paucarum magnarumq; ciuitatum est, illa uero altera ubi non sunt, ibi repræhensioni atq; uituperationi est locus. Studendum enim & prudenter conandum est, quodcunq; utilißimum ciuibus esse statuis.* Opes ecclesiæ *maiores nostri, ad officium cultumq;* Deo & *Christo summa cum reuerentia & deuotione uitæ tribuendum compararunt. Expletur autem id officium in egestate earum rerum, quibus corpus animusq; carere non potest, doctrina & beneficentia. Horrenda tempora sunt cum in eos bona* Christi *conferuntur, qui neq; bonitatem exercere uolunt, neq; docere possunt, & inepti sunt ad munera in*

Volũtas
Facultas
Constantia.

Opes ecclesiasticę

nera in Christianorum conuenticulis suscipienda: deniq; ut ne quid dicam quod grauius sit, qui ad dehonestandam, quàm ornandam religionem, aptius ingenium habent. Sed hæc de malis dico, quorum nostris temporibus nimis magnus numerus est. utinam boni communibus studijs excitentur ad eos depellendos, qui honestißimo omnium mortalium ordini maculas infames inurunt. Illud satis sit, si iam bonis constet ecclesiæ facultates, primum doctrinæ & egestati, deinde literis, quibus doctrina plurimum iuuatur, & nostro tempore necessariæ sunt, esse comparatas: quam rationem si tueamur, poterit aliquando uetustus mos, & maiorum nostrorum disciplina recuperari. Sed hæc hactenus de Magistratus officio, & magistrorum mercede.

Parentum officia.

PArentum etiam domestica cura, ad magistrorum consilia debet esse aggregata. Valde enim puerilem educationem turbat, cum inter hos offensiones extant. Ferre igitur pater debet, ut laudari, excitari, amari, sic etiam moneri, repræhendi, castigari liberos suos. Sic in scholis literarum, ut in magno populo leges constituãtur, & ita in puerili turba ad lau

ba ad laudem præmia, & ad uituperationem casti- gatio proponatur, quemadmodum in ciuium conuē ticulis à magnis solet fieri legumlatoribus. Sed ini- quus æstimator & iudex sæpe est amor, neq; quic- quam, nisi à se corrigi patitur, & frequenter tametsi aliud dicat, tamen odit seueriorem animaduersio- nem. Illiberale est puniri, et castigari uerberibus: at quoniam maxima pars uitiosam naturam habet, cū necessarium est, & propter condiscipulos, dißimu- lari non potest, & cum utile est puero, officium si- bi parens præstari putet, si ad animum emēdandum, corpori dolor qui aĩo quam tangendi sensui graui- or sit adferatur. Crudelitas & cupiditas in eo qui in stituit & docet, semper uituperari debet, & amouē di à literarijs ludis sunt, quicunq; ex uerberatiōe uo luptatē capiunt: sed indulgentia multas magnasq; incommoditates secum adfert. Illi igitur ab ingenio rū educatione repellēdi sunt, qui neq; in puniendo, neq; in ignoscendo modū retinere possunt, neq; illo rum liberis, in studiosorū cœtu uersari licitum est, qui cōmunibus legibus nolunt obtemperare. Con- iunctæ esse debent patris magistriq; uoluntates, ne- q; recte in scholis obtemperatur, cum horum à pue ro animaduertuntur offensiones. Domesticæ etiam occupationes, & impeditiones curarum, literarum studia, & quæ in scholis præcipiūtur, neq; impediāt

In Scholis præmia & pœna constituendæ.

Plagosi magistri remouendi.

Liberum animum literæ requirunt.

neq; perturbent. Liberum requirunt literæ, cum recte est excitatus, animum: cui impedimento sunt labores: qui tametsi corpori salubres sunt, mentem tamen ita afficiunt, ut ad rerum consyderationem existat ineptior. Sunt autem omnino quatuor quæ patri elaboranda sunt pro magistro cum domi est adolescens. Vnum ut amorem erga literas excitet, & augeat industriam, alterum ut agnoscat filius à quo salutaria præcepta ad informandum erudiendumq; animum percepturus est, huic obseruantiam præstandam esse: tertium ut ne pueri diligentia domesticis laboribus distrahatur, postremum ut in sermone & corporis cultu, atq; in uictu nihil committatur, quod aut studia dehonestet, aut euertat ingenij acumen, aut quoquo modo moribus officiat. Deniq; id agere uterq; parens debet, ut quæ in scholis proponuntur, quæq; ipsi tradere, aut ignoratione, aut uoluntate, aut occupatione impediti, non possunt, eadē tamen uelle & optare uideantur. Erudiet enim indoctus parens hoc modo puerum ad disciplinam,

Amor in literas. Obseruātia erga præceptorem. Otium a laboribus. Honestas morum.

De puerorum delectu & officio.

SEd diligenter principio pueri naturam & domi à parentibus, & in cœtu publico ab eo, cui in disciplinam traditus est, consyderari oportet. Neq; enim so-

enim solum qui tardo ingenio nascuntur, à discipli= nis sunt amouendi, sed multi etiam natura sunt non mala prædití, qui tamen ad literas sunt inepti. Qui= dam etiam naturam eximiam & illustrem habent: tamen aut ad rem militarem, aut ad Reip. *curatio= nem idonei magis sunt, quàm ad artes atq; discipli= nas. Sed ut optimi medici est iudicare posse, qui cum magna spe liberorum recte matrimonium coire pos sint: ita etiam industrij doctoris atq; magistri est, ui dere ad quam quisq; artem accomodatam naturam habeat. Sed diligentis est considerare, periti cognos scere, boni & ueri parentes commonere. Elaborare enim debet non ut quàm plurimos, sed quàm opti= mos habeat. Vt igitur excellens & singularis insti= tutio atq; disciplina suscipiatur ingeniorum, ut mi= litum delectus est habendus, neq; quisquam conscri= bendus, per quem te nihil effecturum speres. Corpo= ris quidem commoditas spectanda est, sed non ita ut mentis præstantiæ præponatur. Magna enim res est, ac ualde optanda corporis, & species, & sani= tas, & conformatio, sed animo nihil præclarius. Semper igitur de animo iudicium fieri debet, qui si corporis quoq; elegantia atq; figura cõmendetur, munitam magis ad labores & autoritatem uiam ha bet. Animi uirtutes sunt ardor in suscipiendo, studi= um in uestigando, acumen in percipiendo, industria*

Delectus.

Animi uirtutes.

in perficiendo, & in conseruando memoria. Vbi enim hæc sunt, ibi etiam mentis est integritas, de qua est apud Platonem, quæ ueritatem amat, & odit, quod est contrarium. Optabile est omnia hæc simul, & æqualia esse in omnibus, uerum id in hominum naturis positum non est. quæ uariæ sunt & multiplices. Itaq; etiam illa ingenia à ludo & puericiæ disciplina reijcienda non sunt, in quibus hæc inueniuntur mediocria. Neq; confestim iudicium fieri & celeriter potest. Quidam enim ingenio atq; natura acuti, principio tardi sunt ad intelligendum, tempore tamē atq; exercitatione postea celeres motus ad percipiendum consequuntur. In multis naturæ consopitæ, atq; oppressæ corporis grauitate iacent, quæ præceptis informatæ & eruditæ, eximiæ atq; illustres solent existere. In nonnullis etiam excellens ingenij ad percipiendum ratio est: at memoria interim tarda, interim etiam non firma, quæ disciplina & usu excitari & confirmari potest. Voluntatis primo habenda ratio est, quæ cum adest, spes sit etiam de mentis sensibus. si desit, primum laudatione & promißis est prouocanda, latent enim multa quæ non apparent. Deinde si hac non succedat, obiurgatione utendum est, neq; abstinendum à uerberibus antequam desperetur. Est etiam aliud ingeniorum genus, de quo est apud Platonem in libris

Voluntas.

de Repu.

de Repub. quod industriam claudicantē, ut ipse uocat, habet, uenationibus & palestræ magis quàm literis atq; doctrinis deditum. Hoc Socrates à Dialectica *disciplina repellit, nos etiam ne ad literas quidem idoneum putaremus, si omnes perfectos esse uelimus: at ferendi sunt etiam mediocres, & corrigi possunt deteriores animi impetus disciplina & consuetudine.*

De cultu & oratione puerorum.

Hæc tum demum recte instituitur, cum uniuscuiusq; natura considerata est, & cum ad uitæ genus omnes actiones, omniaq; studia conferuntur. Quapropter ut uiuendi ratione, ita etiam cultu & oratione, atq; moribus studiosi ab indoctis differãt. Quibus in rebus maxime quid deceat uidendum est. Decet autem id maxime, quod à professione uitæ nō est alienum. Iam *cum professio studiosorum sit ratione & oratione uti prudentius quàm faciunt cæteri homines, uacare debet omnis actio atq; sermo, temeritate & negligentia: & ordo & constantia, & moderatio dictis omnibus factisq; est adhibenda. Occultandus etiam si frenari omnino non potest, uoluptatis & libidinis appetitus. Quare si amor est uitandus & dissimulandus adolescenti, de-* Professio studiosorum.

cet etiam ab eodem formæ studium esse remotum. Et si dedita militiæ & uenationum studijs ingenia, corrigenda sunt, debent etiam, qui corporis cultu militem magis & uenatorem, quàm literis deditum puerum referunt, aut emendari aut commoneri. Vestes dissolutæ, constringi, pendentes ex humeris, applicari, scissæ consui possunt, quare locus in his excusationi non est, sed est relictus repræhensioni. In sermone semper quod illiberale & petulans, & flagiciosum & obscœnum est, in pueris animaduertendum, tollendúmq; est. Sed habent quædam naturæ uicia quæ uerbis magis quàm uerberibus tolluntur & emendantur, ut est in sermone, aut tarditas barbara, aut præcipitata celeritas. Verba etiam & sententiæ emendandæ, quibus, is qui audit contemni uideatur, sed tamen propter consuetudinem aut ignorationem, non emendandæ uel acerbe uel cum dolore. Optimus sermo est qui habet prudentiam, ordinem, uerecundiam. Vituperandum est, quod est stultum, emendandum quod indoctum & turbatum: quod uero inuerecundum, si impudens sit, ut est ostentatio, uerbis, si impudicum, & flagiciosum, ut obscœnitas & mendacium, acrius animaduertendum est. Deniq; cultus ad ualetudinem, & professionis conuenientiam, sermo ad prudentiam & uerecundiam referatur. Qui hæc non retinent, uiciosi sunt, &

Cultus corporis.

Sermo optimus.

ſunt,& obedientiam,quæ in diſciplina eſt præſtanda,abiecerunt. Eſt etiam aduerſus omnes homines adhibenda reuerentia. Itaq; uitioſum eſt magiſtratui,theologo,magiſtro,parenti,ſeni, nõ aſſurgere, non caput detegere,non reſpondere,aut non ita reſpondere ut decet. Obedientiam relinquunt, qui ludunt cum uacatio ſtudiorum non eſt data, contra reuerentiam faciunt,qui tum ludunt,cum id cæteri ciues uident,quibus nota eſt diſciplinæ conſuetudo. Qui in ſomno et quiete, qui in ludo modum,tum etiam cum conceditur, non ſeruant, tametſi grauißimum facinus nõ ſit,tamen quia intemperantes ſunt, deformant diſciplinam. Laudata uero illa diſcipulorum congregatio eſt, in qua & præſtans natura, & amor ardens,& diligentia conſtans,& uerecundia eſt liberalis. Reuerentia.

De pauperibus.

P*Auperum uero magnas ciuitates in primis rationem habere decet: Semper enim honeſtißimum fuit liberalitatem & beneficentiam colere,& Chriſtus pro ſe pauperes ſuo gregi reliquit. Sed non unum genus egeſtatis eſt. Sunt quibus inuiſus labor eſt,& gratior eſt inertia,quod genus mendicorum cum corporis uiribus non deſtituatur, eijciẽdum eſt e ciuitate recte inſtituta. Eſt enim uel inutile & cæ*

teris obstat, uel sceleratum & latrocinijs furtisq; de ditum. Quibus uero, etiam si uiribus ualeant, & in genio aliquid poßint, tamen aut liberorum multitu do, aut parentum creditores, aut casus amicorum, aut priuatæ aduersæq; fortunæ impedimento sunt, hi si uirtutem amant, & dedecus effugere cupiunt, ab omnibus bonis ex ærumnis sunt eripiendi. Etsi e= nim miserum est, tamen quia non est consceleratũ, debet subleuari. Nam si Rerump. finis fœlicitas est,

Reip. fi- nis.

haberi potest in miseris ea ciuitas, in qua ciues bo= ni premuntur egestate. Est huic generi etiam terti= um adiungendum, quod uel diuturnitas morbi, uel uirium imbecillitas, uel senectus, facit ærumnosum. Sed hæc tria genera, non ad nostram institutionem. uerum est præterea aliud, quod uiribus integris est, & ingenio plurimum potest, nullaq; fortuna iniqui ore est afflictum, quàm quod ex parentibus egenis est natum, & ad literas excellentem naturam habet, ad quarum studia sua sponte fertur. Huius mēdicitas non solum excusari, uerum etiam laudari debet, & mouere cæteros ad bonitatem. Est etiam nostro se= culo pernecessarium. Nam contraria diuitiarum & paupertatis, uirtutis & uicij, liberalitatis & auidi= tatis sunt studia. Vbi enim ampla literis præmia ex posita sunt, ibi maior existit studiosorum copia, quã apud illas gentes, quibus gratior barbaries est, quã

elegantia doctrinarũ. Diuitum uero atq; nobiliũ, nisi singulari naturæ bonitate præditi sint aliqui, multo maxima pars aut effœminata luxu, aut uicijs illis cæteris dedita, quæ propria illorum sunt, per= uerse iudicat, & ad ambitionem, atq; pecuniæ studi um rapitur, in quibus difficile semper fuit modera= tionem retinere: apud hos uero uirtus esse putatur, uaferrimum opum, honorumq; sine modestia, & re ligione, sectorem fieri. Longius progrediuntur, & magnos gradus ac processus faciunt, quibus religio & uirtutis dignitas proposita est, quam hi, qui que stum atq; potentiã sequũtur, & per gratiam & o= pes nulla doctrina, nulla sanctimonia uitæ ad amplis simos honores ascendũt subito. Paupertas uero tar de & sero peruenit quo uult, sed tamẽ multos edit, q res magnas & arduas elaborãt atq; perficiũt. Ele ctio aũt in multitudine ac uarietate, q̃ in paucitate et solitudine facilior est. et ex his q diuitijs effluũt, & genus clarũ à maioribus cõparatũ habent, pauci sunt qui ad se literas pertinere putẽt: pauptas uero tametsi in omni re optimũ qcq; rarißimũ sit, tamẽ plures ad literarũ studia & amorẽ excitat. Magnã uim ipsa habet ad suscipiendũ, sed impedimento est egestas ad perficiendum, si non sustentetur. Itaq; non excludi à ciuitatibus mendicitatem decet, quæ amore sapientiæ flagrat: neq; solum ciuium liberis

Diuitiæ insolentiam pariunt.

Paupertas amãs uirtutem subleuanda.

tribuendū id eſt, ut alantur gratis uirtutis ergo, ſed etiam peregrinis atq; alienis, in quibus ingenij ac induſtriæ lumen accenſum uidetur. Maxima enim ſemper ſummaq; hoſpitalitatis et bonitatis laus fuit, & inter nos qui Chriſtiani nominis ſumus maximopere neceſſaria. Hoc enim religio ab elegantia & queſtus cupiditate differt, quod hæc duo cum illuſtribus & florentibus hoſpicium faciunt, illa uero, his à quibus neq; gratiam, neq; opem, neq; queſtum expectat domum apertam habet. Sed in pauperibus ordo moderatioq; tenenda eſt, ut ne ciuium liberi, præſertim ſi boni ſunt, egeant & ut meliorum ratio habeatur, ſemperq; præferatur id quod eſt optimum, Ciuium liberos in egeſtate eſſe, turpe eſt, & honeſtum eſt alienos non defici. De quorum indole conſtat, certus numerus conſtituatur, quibus Resp. uictum ſuppeditet, cæteri priuatim à ciuibus conquirant neceſſaria. Omnes autem & qui priuatim ciuium benignitatem experiuntur, & qui ex communibus facultatibus aliquid capiunt, ornamentum non dedecus, & utilitatem, non moleſtiam ſcholæ & diſciplinæ adferre debent: excludendi ſunt, ſi faciant ſecus quàm deceat. Liberam enim bonitatem ciuium non obſtrictam eſſe uolumus. Ornamento eſt, qui uirtutē & religionem colit, inutilis eſt, qui non poteſt eſſe exemplum, ſed exemplo obeſt.

Ciues pauperes.

De priui

De priuilegijs.

PRiuilegia enim non ad impunitatem, & erratorum defensionem feruntur, sed ad puniendum sontes irrogantur, & tuendum insontes, & confirmandum res communes sunt comparata. illa uero iura, quibus utitur Lutecia & Louanium, & cæteræ ciuitates, in quibus docentur artes atq; doctrinæ, ob raritatem studiosorum uidentur esse constituta. Fuerũt enim tempora, quibus profligatæ literæ, omnesq; doctrinæ fuerunt: ad quam calamitatem tollendam excitata fuerunt magistratuum studia, & proposita præmia, et aditus ascensusq; patefactus ad honores, & in petulantes ciues, quibus ingrata & contempta literatorum ac studiosorum conditio erat, irrogata priuilegia. Itaq; ad excitanda ingenia, præmia honoresq; expositi & ad defendendum ocium retinendamq; dignitatem, tales leges sunt latæ. Sed factum est in hac re, quod cæteris omnibus rebus fit quæ sunt bonæ, ut paulatim illis homines abutãtur. Nam et in tribuendis honoribus, temporum magis & pecuniæ ratio habetur, quàm uirtutis atq; doctrinæ. neq; delectus ullus habetur, ordinesq; peruertuntur, atq; ita iure nostro utimur, ut ad impunitatem facinorum, & integumentum uiciorum, & uanam, falsamq; sapientiæ persuasionem constitutum

Quare priuilegia data.

esse uideatur. Verum Magistratus ut dare, & præmijs afficere, sic etiam corrigere & auferre potest. Apud Græcos qui præclare de Rep. meriti erant, illis quotidianum in Prytanæo sumptũ ciuitas præbebat. at si quis postea patriam prodere conatus esset, & abuti scelerato aliquo facinore cœpisset hac benignitate, eundem non solum honore priuassent, sed lege etiam egissent, & de capite causam coegissent dicere. Ita honorem in Rep. retinebant, uicia corrigebant. Legibus frui debent, in quibus ea sunt, quorum causa sunt latæ, rerum cognitio, & amor literarum. qui uero uiolant leges, & dehonestant consuetudinem, reprehendendus omnis ordo, Magistratusq; est, si nõ puniantur. Quapropter perẽnia quidem contestataq; priuilegia esse uolumus, sed ita, ut seueritas disciplinæ, mosq; uetus retineatur.

Qui priui legijs uti debeant.

Hæc sunt quæ breuiter & generatim, de uniuersis quæ ad literarum ludos pertinere uidentur, scribenda commonendaq; uidebantur. Satis enim præclare agetur, si omnium studia referantur ad pietatem & sapientiam. Si copia eorum qui docentur tanta sit, ut præclarorum ingeniorum delectus haberi poßit: si Magistratus præmia constituat, & addat dignitatem, si coniuncta sint parentum ac magistrorum studia, & uoluntates. Si magistri tales sint, & doctrinã tantam habeant ut poßint, & ea uirtu

Scopus studiorũ.

te prædi-

te præditi sint, ut uelint & cupiant illustrare atq; amplificare literas, si pauperum ratio habeatur, si legibus atq; priuilegijs, ita ut lata sunt, utamur. De*niq; tum demum omnia florebunt, cum id tantum quisq; agit, quod sibi ratio & uitæ genus præscri-bit.* Id *neq; à* Deo *maius nobis imponitur, quàm fer re poßimus, neq; quisquam suscipit prudens, quod efficere non potest, & in liberis ciuitatibus tantum unicuiq; mandatur, quantum uires atq; ingenium possunt sustinere.*

Vnum in ciuitate commune publicumq; gymnasium esse constituendum.

S*Cribendum deinceps de constituendis scholis, et distribuendi sunt ordines, & docendi ratio, atq; disciplina tradenda est.* Q*uod enim temere fit, et per turbate, & dissolute, raro magnos facere progres-sus solet.* I*taq; recte apud* P*latonem* P*rotagoras sen tit, etsi orator nõ sapiens inducitur: tamẽ illud uere* πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.

V*no igitur in loco, quemadmodum unus etiam uerorum studiorum finis est, ludos literarum com-prehendi utilius est, quàm per diuersa ciuitatis lo-ca esse distractos.* V*t enim ineptũ esset, decẽ ouibus magistros singulos, singulaq; pascua singulis aßi-gnare;*

gnare, sic etiam non laudabile est, quod ab uno, aut à paucis peræq; ut à multis fieri potest, eodemq; in loco, distrahere id & pluribus committere. Deinde gaudet homo societate & frequentia, & pauci sunt quibus grata sit solitudo. Raro etiam absq; uarietate & præstantia est multitudo, itaq; & delectum & exempla habet. Xenophon quoq; Persarum ἐλευθέραν ἀγορὰν uno in loco fuisse coædificatam scribit, semotam à turba atq; strepitu. Omnis enim liberalis educatio εὐκοσμίαν τε συζήτησιν καὶ συμφέρτην ἀρετὴν habere debet, ut ordine atq; modo omnia progrediantur, ut communia studia, coniunctæq; uires, quasi uno aspectu appareant. Quæ causa etiam Persas mouit, si uere Xenophon scribit, ut tametsi distriubta loca illa essent, quæ appellabantur χῶραι, tamen in ijsdem locis uersabantur pueri, adolescentes, natu grandes, & qui emeritum militiæ tempus habebant. In cœtu enim & frequentia, plura atq; præclariora ad excitandum exempla & maiores ad discendum occasiones exhibentur, quàm in paucitate: quare ciuitates ad docendum aptiores sunt, quàm loca deserta, ut uult Socrates apud Platonem in Phædro. Itaq; nisi multitudo hominũ conuenientium, & ciuitatis amplitudo tanta sit, ut locus unus non sit satis, id quod fit Luteciæ, utilius est coacta esse, quàm distracta gymnasia. Etenim &

qui docent, & qui audiunt, uarietate & copia excitantur; languescunt autem solitudine atq; raritate. Vnum igitur literarum liberalium sit gymnasium, in commodo medioq; ciuitatis loco coædificatum, si id ferant, & locorum interualla, & multitudo: sed hoc quoq; suis sit distinctum ordinibus, qui diuisi erunt & docendi genere atq; uarietate & laborandi exercendiq; temporibus, de quibus nunc est præcipiendum.

Frequentia studium excitat.

Ordinum distributio.

P*Ropositum à nobis est, sapientem atq; eloquentem pietatem, finem esse studiorum.* Omnes e*nim homines pietatem colere decet: at hoc literatus ab indocto differt, quod ratione atq; oratione præstet. Quare proposita esse debet rerum cognitio, & orationis puritas & ornatus, qui hoc nomine, quo homo homini antecellit, uolet haberi dignus.* Huc *igitur referant uniuersa studia, qui profiteri, & qui accipere talem disciplinam uolunt.* Et *quanquam coniuncta sunt, sapientiæ & linguæ studia, tamen humanæ naturæ aptius est, si ab orationis elementis, inchoetur institutio: ueruntamen morum quemadmodum dictum est, semper, atq; continuo disciplina retineatur. Cum ergo primus labor*

Finis studiorum.

Eloquentia ante sapientiam tradenda.

ad infor

ad informandam erudiendamq; linguam suscipiendus sit, recte fiet, si ad orationis diuisionem, etiam ordinum distributionem accomodemus. Volunt *enim optimi autores, ut oratio perfecta, primum pura sit, & dilucida: deinde ornata: post etiam ad id de quo dicitur congruens & apta.* Duo *illa prima propè eandem & certe copulatam doctrinam habent, & tum nostris temporibus cognoscuntur, cum adhuc magistris & pædagogis est puer subiectus.* Tertium *ut est insignius, ita etiam liberaliorem exercitationem requirit, sed tamen non solutam legibus, ut in metu adhuc sit adolescentulus.* Quartū *confirmatum in literarum studio animū desiderat, itaq; eiusmodi leges postulat, ut obseruantiam præstent auditores, & qui docent retineant autoritatē, & in obtemperando obsequium uoluntatum, & in præcipiendo seueritas sit liberalis.* Diuidemus *igitur omnes ordines in duo genera.* Vnum *est puericiæ, quod necessarias, perpetuasq; auscultationes habet, alterum adultæ ætatis, quod publicas, atq; liberas requirit.* Puerili *educationi annos nouem damus, publicæ auscultationes utiq; quinq; sibi assumunt.* Itaq; *fiet ut etiam si septimo anno puer ad magistros ducatur. tamen uigesimo primo per omnes ordines sit progressus.*

Perfecta oratio pura sit, ornata, & rebus congruens.

Auscultationes necessariæ.

Liberæ.

Quo tempore puer ducendus sit ad magistros.

Sed

Sed non idem in omnibus ingenij lumen est. Excellentes quædam naturæ sunt, quæ quinto anno literarum uim, & legendi rationem cōsequi possunt, quædam etiam uix septimo excitantur, quanquam qui id tempus excedant, si stupor maneat, raro ad frugem perueniunt. Sed ut illæ quæ celeriter & cito incipiunt, aliquando præproperæ solent esse, & ætate deprauari, sic illi qui uix septimo anno excitantur, sæpe firmius iudicium, & constantiorem uoluntatem consequuntur. Medium igitur tempus sextum annum idoneum ad discendum omnibus statuimus, ut simulac puer annum quintum egressus est, & ad sextum ætate peruenit disciplinæ tradatur. Qui uero ante eam ætatem assequi grandiores possunt, magna de se signa dāt talis naturæ, quali Dialecticos præditos esse uult Socrates & οὐ τρεχάτους. nominat, quibus scilicet celeres motus sunt ad intelligendum.

Sexto anno magistro tradē dus puer.

Quot ordines necessariarum auscultationum.

Cum primum igitur infantiæ anni præterire, et aduentare puericia incipiet, committendus puer est literarum doctoribus, & ducēdus paulatim per omnes huius disciplinæ ordines. Horum numerum, annis illis definimus, quos dedimus puerili educationi. Sint igitur nouem ordines, siue curiæ, siue

Nouem classes.

riæ, siue classes, aut etiam tribus, aut quocunq; modo appellare libet, quemadmodum anni sunt etiam nouem. Ex his orationi latinæ atq; dilucidæ, septem constituimus: reliqui duo ad comparandum ornatum, idonei sunt, cuius prima præcepta in his duabus curijs traduntur, exercitatio autem iustior atq; maior facultas, illis quinq; annis, quos liberis scholis atq; apte dicendi generi necessarios putamus, accedet. Vt enim pura & perspicua oratio, coniunctã doctrinam habet, & sunt αὐτίσgοφα, *sic etiam ornatus esse uix ullus potest, si sit ineptus, & aptum nihil dicitur quod est inconditum. Fui aliquãdo in ea sententia, ut sex ordines sufficere putarem, sed usus, hãc partitionem utiliorem docuit: Septem igitur annos matri ad educandum & ludendum cum puero damus, quatuordecim debentur magistris, neq; pœniteat ante uigesimum primum nõ exire e scholis puerum. Ante enim id tempus, & matrimonia & publicæ curationes inutiles sunt, sed hoc curriculum, literarum palestræ & ludo aptißimum est.*

Ordinum utilitates & singulorum ordinum distinctio & quomodo excitandi pueri.

Est autem in hac distributione tum necessaria quædam utilitas, tum eiuscemodi oblectatio quæ pue

quæ puericiæ studijs est accõmodata. Nam *fieri non potest, ut unus omnia docere possit: & nisi certus contestatusq; ascensus inueniatur, accidit plærunq; ut à uero itinere non solum ignoratione, uerum etiam cupiditate aberremus.* Nostris *etiam temporibus quotus quisq; est qui uigesimo primo anno aliquod præclarum doctrinæ documentum statuerit.* Vix *quinquagesimo assequimur, in quo statim iuuenes decebat excellere.* M. Cicero *annos natus uiginti sex, nec amplius, orationem pro* P. Quintio *&* Sexto Roscio *habuit. quis postremis hisce seculis è uita excessit, uel senex qui tale post se exemplum reliquit?* At *neq; libri nobis desunt, neq; ingenio carent homines nostri, labore fortaßis etiam non cedunt, duo tantum desunt,* Romanus *sermo, & recta ratio, uetusq; disciplina, quorum utrunq; comparandum est, antequam perfectum aliquid expectemus. Sunt aliæ multæ utilitates quas hic commemorare non est opus: delectatio uero in eo est, quod quasi imaginè exprimat ciuitatis & integræ* Reip. Tres *enim illi uiri omnium præfecti, quos* Senatus *constituit, quasi* Aristocratiæ *faciem repræsentant, & alteri tres qui intermedij sunt, inter hos tres quos dixi, & inter moderatorem disciplinæ tanq̃ administri sunt, si quid extra ordinem sit deliberandum.* Tota *deinde multitudo ut omnes ciues sic in*

Vtilitas huius ordinis.

Delectatio.

Imago reip.

C ordi-

ordines, quaſi in tribus atq; claſſes digeſta eſt, quibus ſinguli doctores tanquam plebi curatores, aut etiam tyronibus magiſtri ſunt præfecti. Ordines uero per decurias diſtinguuntur, ex quibus decuriones deliguntur: animaduerſores morum, & exactores officiorum. Ipſe etiam moderator, ita præeſt, ut innoxius Dictator, qui Magiſtratui potentiori ſubiectus, tùm demum laudem obtinet, ſi recte regat, & magnos utilitatis fructus præbeat. Præmia etiã ſingulis ordinibus, ceu fortibus ciuibus proponuntur, cum progreßio quotannis fit ad loca ſuperiora de qua eſt etiam explicandum.

De progreſſionibus ordinum.

MVltum excitat adoleſcentes, cum quantum profecerint animaduertunt. Plærunq; etiam poſteriora faciliora putant, cũ priora ſuperarunt. Vnde illa Aeneæ cohortatio.

O paßi grauiora dabit Deus his quoq; finem.

Solennis debet igitur quotannis aſcenſus ad ſuperiores ordines fieri. ad quem non ſolum magiſtri ueniant, uerum etiam omnes præfecti, cum Theologis, atq; puerorum parentibus ac amicis. Duobus etiam in ſingulis ordinibus, qui maiores quàm cæteri profectus fecerunt, præmia danda ſunt induſtriæ atq; uirtutis. Et quoniam ea in re gratia ſuſpecta ſæpe

eſt, ius

est, ius erit inferioribus congredi cum his qui præpositi sunt, & stilo & oratione & disputatione contendere, ut si par sit, qui concertat eodem præmio afficiatur: si imbecillior, redeat tamen ad suum locum cum nullo dedecore. Calendæ octobris utiles sunt ad eam progreßionem, aut enim desinunt tum morbi, aut nulli sunt, aut si sunt, uitari possunt. Medium etiam tempus est, ut neq; nouo labori hiemis inclementia obstet, neq; finis æstatis fastidio afficiat adolescentes, qui se tum ad Calendas Octobris præparabunt. Progreßionum tempus.

Postremus ordo hoc est nonus:

E*St autem à postrema parte sumendum principium. Itaq;, sub quintum sextumuè annum ad eum ducatur, qui literarum figuras, coniunctiones, sonúsq; docet, cui cognitioni nonam tribum, primúmq; & unum annum damus. Sed cum duo proposita sint, ad quæ illa tria referantur, lectio atq; scriptura, quod omnibus præcipiendum est, hic primus tenere debet, ut quod optimum est sequatur. Doceat igitur literarum figuras, quoad potest elegantißime ducere atq; repræsentare, & earum sonũ plene, & ut decet exprimere. Tradat ergo linguæ, & spiritus, et uocis moderationẽ, in quo uidendũ est* Lectio, et scriptura.

ne quid quod putidum, obscurũ, exanimatum, inflatumq; grauius sit, exprimatur. Vox lenis, non aspera, spiritus plenus non anhelatus, sonus pressus & æquabilis, nõ uastus aut hiulcus aut rusticus esse debet. Qua in re uulgi consuetudinem improbare, cũ sit recte licet: sed quod doctißimi faciunt, id semper est retinendum. Qui optime pronunciant, multa cũ Græcis & Italis communia habent, sed quædam habent singularia. In Germanis multa sunt corrigenda, plura in Anglis & Gallis. Itali peccant minus. sed nemo in literis nonnullis non uiciosus, aut singulis aut connexis. In docendo etiam morũ curam hic agere decet. Itaq; in catechismo exerceatur. Is breuis sit, ut statim transitus fiat ad nominum & uerborum inflexiones, quarum certa exempla, eaq́; generalißima sunt deligenda. Si recte institutio accommodabitur, in quo non praua natura est, uno anno & legere discet, & inflectendi formas communes mandabit memoriæ. Quibus uero aliquid superest temporis, his faciliores & breuiores Ciceronis epistolæ sunt proponendæ, quales illæ sunt, quas ad Terentiam uxorem & quædam, quas ad Tironem Libertum scripsit. Nos tres libros ex omnibus epistolarum uoluminibus elegimus, in quibus non quid doctißimum sit spectauimus, sed quæ maxime idonea huic ætati essent, congeßimus; neq; scio an quic-

Catechismus.

quam sit, quod utilius à principio proponi possit.

Ordo octauus.

AD *octauũ ordinem, illis de quibus dictum est, iactis fundamentis, prima studiorum progressio, primaq́; industriæ exercitatio fiet.* N*am qui præmia acceperunt, conabuntur ut sequenti anno, partum honorem non perdant: & ad nouã laudem uiã munient. & qui postremi fuerunt ut ne rursus uincantur, elaborabunt, & nitentur pares esse doctioribus, aut etiam antecellere.* Diligentior tum pri*mis sex mensibus tradenda est grammatices partitio, uerum neq; obscura, neq; ad omnes exceptiones deducta.* D*uabus quotidie horis opus est ad hanc explicationem: id quod reliquum temporis est, æglogis* V*ergilij &* E*pistolis* C*iceronis est tribuendum.* E*st autem id duarum horarum: quasi enim quatuor horis doceatur, ita præcipio.* D*issolui* E*pistolæ debent, & flectenda atq; uarianda uerba singula, eaq́; rursus coniungenda, & uniuscuiusq; consecutionis tradenda ratio. Sed rationem construendæ orationis in posteriores sex menses differo, cui doctrinæ horæ duæ quotidiæ sunt transmittendæ, alteras duas ut superioribus sex mensibus in* E*pistolis* C*iceronis, &* V*ergilij æglogis alternatim ponere oportet.* C*õsuescere hic puer* L*atino sermone incipit, & propo*

Partitio Grammaticę.

situs sermone quotidiano sententias, formis latinis cōmutare. Hæc enim exercitatio rectè stylum præcurrit. Carmina etiam modulari tum debet magister: idemq; puer consuetudine atq; exercitatione magis quàm ratione imitari. Quodcunq; autem traditur, nisi id apertißime explicetur, uiciosum est.

Ordo septimus.

VBi ad septimā tribum ascendit, colligere post uires ingenij illa ætas incipiet, & de se aliquid promittere. Cognita enim hic tum sunt magna ex parte, nominum uerborumq; & genera & inflexiones: præcepta etiam non ignorantur orationis cōiunctæ. Sed repetenda hæc subinde sunt, & renouanda memoria: quapropter rectè distribuenda tempora sunt: ut ne horum reuocatio, insequentium rerū cognitionem impediat. Verborum enim atq; syllabarum omnium tempora atq; moræ sunt perdiscendæ, neq; ignorandi orationum modi, & uersuum genera. Sed satis est horam unam huic præceptioni quotidie dare. Nam neq; multis tradenda est, & si quid deerit, quod cauere ne sit nimium oportet, si quid tamen deerit, in sextis consumabitur. Proponendi hic sunt duo illi libri Ciceronis & elegantes & pij, et ad intelligendum faciles, unus de Amicitia, alter de Senectute. Atq; his alteram horam uacuam

Cicero de Amicitia & Senectute.

cætero labore uolumus. Tertiam poëtæ sibi uindicant: Aeneis Vergiliana uirtutes omnes heroici uersus habet, reliqua genera ex Catullo, & Tibullo, & Horatio sunt congerenda. Plura ex Catullo & Tibullo si essent pudica, sed si id nõ licet, & si quæ desunt, meliora enim uix apud cæteros inuenias, tamen quæ desunt, ex Horatio colligantur. Sed nihil in pueri aures atq; animum intret, quod non sit pudicum, pium, elegans, liberale. Stilo quartum dicendi tempus concedatur, propterea quod in proponendis argumentis & corrigendis scriptis utilitas magna posita est, & plurimum temporis consumitur. Si quid autem supererit, id ei rei quæ magis egebit explicatione licebit surripere. Sed eruenda sunt argumenta, ex illis quæ audiuerunt pueri, ut cognoscant, unde sint capienda uocabula, et sententiarum formæ. Distinguenda quoq; diligentißime poëtica uerba & figuræ, ab oratorum puritate. cogitetq; nihil quod non legerit in Cicerone, aut non permiserit magister, esse oratorum. In carminibus faciendis subleuanda pueri industria est. Est enim per se molesta, idq; principio scribendi cõsuetudo: Poëtarũ uero oratio, cò plus habet difficultatis, quo cõiunctior est atq; astrictior uerborũ cõtinuatio. Quocirca transponẽda bonorũ carminũ uerba sunt primis mensibus ut solũ in structura laborẽt. post sententiæ

Poetæ.

Stilus.

Verba Poetica.

liberæ proponendæ, sed tamen omnes ut harum inuestigatione non habeat opus, sed in uerborum inuentione & connexione sit occupatus.

De memoriæ exercitatione.

T*Res isti ordines magnam requirunt memoriæ exercitationem. Nam eiuscemodi præcepta sunt quæ traduntur, ut omnia illa teneri memoria eáq; perpetua debeant.* Itaq; *non plus legendum est, quàm recordandi uis posit sustinere. Quarundam tamen rerum intellectarum, loca utilius notantur, ut exceptionum, quàm res ipsæ statim animo insculpantur. Sed sunt quædam quæ statim teneri pernecessariũ est, ut* καταλήψεις *artis & inflexionũ formæ atq; exempla.* In Cicerone *&* Vergilio *haud scio utilius ne sit omnia quæ leguntur, an ea solum quæ insignem habent imitationem, posse memoriter cõmemorare.* Inconsulta *enim adhuc illa tum ætas est, & multa mandanda, quæ sua sponte non faciet: neq; satis illud discitur, quod cum opus est nos fugit.* Itaq; *quotidie aliquid proponendum non solum ad intelligentiam, sed etiam ad memoriam exercendam.* Verum *ut dixi, quantum uires, rerúmq; natura ferre potest, tantum est imponendum.* Repetenda *etiã modico interuallo ad cogitationem renouandam, quæ semel didicerunt, sæpenumero & statis temporibus. Sed illustriores fiunt animi sensus, ipsáq; reminiscen*

Quę discenda.

miniſcendi facultas magis illuminatur, & ſingulorum facilior eſt, & inuentio & uſus: ſi patiantur, & communibus quibuſdam iudicijs, quaſi membratim inciſimq; ad generalia capita congerantur. ut quæ mens ipſa compoſita memoriter recitare poteſt, ſciat etiam quibus in locis eadem diſſoluta atq; diſtincta inueniet. Quemadmodum enim ualde nos illæ tabulæ Coſmographorum excitant, atq; illuſtrant ſenſus, quæ eadem loca deſcripta habent, in quibus aliquando uerſati ſumus: ita etiam uaſta ſunt illa compoſita, quæ animo comprælendimus, propterea quod una in re omnia ſtilus non complectitur ſed cum unum in locum annotando cumulantur, explicant ſeſe, & clarius intuenda proponunt.

De ratione docendi, & de horis.

S*Ed alio loco tradenda eſt hæc ratio reſoluendi, nunc uero antequam ad ſextum ordinem ueniamus, breuiter de modo explicandi, & de horis quibus docendum eſt, quædam interponamus.* Neq; *enim onerandi ſunt longis lectionibus pueri, neq; ſatis eſt magiſtrum præſtantiſsima delegere, eademq; intelligere, ſed in explanando expeditiſsimam, utiliſsimamq; uiam cognoſcere, atq; inire oportet.* Q*ua in re uituperandus illorum mos eſt, qui continentibus multisq; horis aures occupant auditorum*

Non diu docendū, nec oīa eodem loco, & tēpore.

neq; satis esse putant, id solum explicare qnod est in scriptore, neq; sufficere posse putant inchoatam sæpe alicuius rei cognitionem, sed omnia conantur uno in loco docere, et plærunq; aliena adferunt quo quàm diligentißimi, & quàm doctißimi esse uideantur. Equidem *fateor semper aliquid uel audiendum, uel legendum, uel scribendum, uel cogitandum atq; quærendum esse, sed fastidium parit continuata & prolixa attentio: uarietas uero satietatem & offensionem aufert, & habet uoluptatem.* Relaxata *scholarum contentio, domestica studia, & secretas cogitationes excitat.* Quatuor *aut ad summum quinq;, sed non pauciores quàm quatuor, neq; plures, quam quinq; horæ sunt imponendæ magistris.* Hæ *pro locorum & temporum & consuetudinũ ratione sunt distribuendæ.* Facilitas *in explicando semper tenenda est, ut quæcunq; audiant iuuenes, queant etiam intelligere.* In *postremis istis ordinibus uerba tantũ & uerborum cõiunctiones tradendæ. & sententiarum formæ interpretãndæ ita sunt, ut & sensa illarum consequantur, & cognoscant quibus in locis similibus uti liceat.* Primi *autem consuetudinum, historiarum, consiliorum, ornamentorum, & insignium locorum, qui in arte continentur, explicationẽ requirunt.* Verum *distribuenda suis temporibus omnia sunt: neq; artificiosi doctoris est quicquam*

Varietas tediũ expellit.

alieno

alieno tempore exponere, aut commemorare. De- *liberare igitur semper, cum re, & cum uiribus in- geniorum, oportet*. Ex quouis enim ligno Mercu- *rium uelle facere, ineptum est*. Hærere etiam atq; *sedere uno in loco diu, obstat & officit celeritati at- q; festinationi mentis. Sed & præpropera festinatio sensus fatigat, & conturbat memoriam*. Medium *tenet, qui mature agit, neq; plus proponit, quàm ingenia ferre, neq; diutius immoratur, quàm res quæ ad cognoscendum exponitur, requirere uidea- tur*. Varietas *etiam eodem die uitanda est, illa incon siderata quæ fit aut singulis, aut iisdem horis*. Quæ *dierum interualla habet, utilior esse solet, sed nunquam ad noua ueniendum est, antequam susceptum argumen- tum perficiatur*. Inchoatam *enim aut argumentati- onem aut narrationem, aut artis caput, intermitte- re, & aliquid interponere, intelligentiam distrahit, memoriam confundit, & mentem quæ semper ad per- fectionem peruenire conatur, grauat*. Plura *eodem die quàm tria exerceri, uituperandum est*. Vtilius *est in duobus consistere, sed aliquando necessarium est tertium adhibere*. Quantum *uero pueri intelligant, & quantum consecuti sint, facile cognoscunt tum doctores, cum quæ audiuerunt, quasi repetunt interrogationibus, quæ breues sint & apertæ. Cauendæ enim omnino sunt, in scholis illæ orationum longæ & concitatæ circum-* ductiones,

Deliberandum quid res requirat, & quantum ingenia ferre queant.

Semel suscepta perficienda.

Duo aut ad summum tria eodem die exercenda.

ductiones, quas etiam si animi celeritas assequatur, tamen memoriæ fidelitati semper est inimica, mētis etiam uegetationi quæ spaciū sæpenumero ad meditandum requirit, est ingrata.

Ordo sextus.

NOn mihi dubium est quin consequatur puer quod pollicemur tribus hisce annis: ut latinæ atq; dilucidæ orationis præcepta teneat, ipse etiam uim aliquam faciendi similia comparet, si ingeniū studiumq; non desit, & si rectè, atq; hac ratione instituatur. Post nonum igitur decimúmue annum ingredi puer in eum locum debet, in quo educantur, quibus præcepta, reducenda pótius in memoriam sunt quàm tradenda noua. Itaq; nisi quid addendum sit, quod antea doceri non poterat, uacatio præceptorum danda est eo anno, & solum cognitarum rerum memoriæ consulendum. Id commode in oratorum & poëtarum explicatione fieri poterit. Pergere hic in Aeneide adhuc debent, hora una, & absoluenda sunt ea, quæ ex Catulli & Horatij collectis carminibus restabunt. Deligendi etiam ex Cicerone speciosi & illustres quidā loci, ut sunt magnarum rerum infinitæ quæstiones, ut commemorationes quæ aliquā laudem, aut uituperationem, aut singularem quendam uel ordinem uel munitionem habent. Sunt etiam argumentationum pulcherrimarū exempla

Res cognitę per exempla repetendæ.

exempla non ulla, quæ recte ad imitandum propo=nuntur. Quidam ſunt quoq; in Cicerone ſententia=rum circuitus, qui ornatum ſummum, qui figurarũ non unum genus habent, & utiliter mandantur me=moriæ. Ipſæ præterea figuræ uarie & ſingulari ſæ=pe ratione commiſcentur, quæ niſi notentur, occur=rere in ſcribendo non ſolent. Illa omnia huic curiæ tribus libris congeri ac diſtingui uelim. Scio equidẽ uituperandos eſſe illos libros, qui nobis pueris lege=bantur, & ex ſcriptoribus ſine ordine coactas ſen=tentias habebant, breues illas quidem, & ſubtiles & elegantes, ſed hoc genus memoriã uaſtat, aciem ſtili diſtrahit & ſæpe facit, ut multa inepte ſcriptis in=terponantur. Sed quemadmodum ſummi oratores, quædam in forum Athenis & Rhomæ, ſcripta attu=lerunt, cætera parua commentatione quaſi ante de=lineata dixerunt ſubito. ita etiam ego in ſcholis fieri uelim, ut quæ ab oratoribus non potuiſſe dici uide=antur, niſi ante domi compoſuerint, ea certo iudi=cio ſeligantur, & adferantur in ludum. Neq; inuti=le eſt in hoc loco, etiã ex alijs ſcriptoribus, aliquid ad cognoſcendum interpretari: Medij ſunt inter o=ratores, & Tragicos et Epicos & Melicos, poëtæ, hiſtorici, etiam Comici, qui & ipſi poëtæ quidem certe ſunt, ſed tamen ſtructura magis & argumenti genere, quã uerbis atq; ſententijs. Hiſtorici poëtica

Hiſtorici, Comici.

multa

multa habent, uerba scilicet & formas sententiarũ, sed plura sunt oratorum. At utriq; quædam habent peculiaria. Nam historici temporum sæpe ut tum usurpabãtur uocabula retinent, & liberum quidem compositionis genus habent, sed ad legendum diligenter, quàm ad recitandum celeriter aptius. Cæsarem excipio qui oratori quàm historico similior suas res quotidiani sermonis uerbis maluit conscribere, Itaq; hunc solum in sextam tribum admitto. Vtilis enim in isto loco uoluptas erit, si inter Terentiũ & Plautum interponatur. Etiam Salustium darem, sed transfertur utilius in quartam, quod etiam in Plautinis malim teneri. In Terentio est, appellere animum, pro applicare sese, & occipere pro incipere, & proh Deum atq; hominum fidem, etiam in Plauto tum similia tum etiam plura sunt, & libenter uterq; postponit pronomina, in clausulis sententiarum. Sunt alia multa eius generis, quæ notare quidem pueros, sed non uti uelim nisi in re simili, aut cum potest fieri decore, id quod à magistro est demonstrandum. Oratorum stilus genus aliud orationis facit, & audaciores translationes similitudine explicat. Sic Catulus in secundo Ciceronis libro de oratore timide tanquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad Philosophiam appulisti, eodem uerbo usus est ille senex quo Terentius sed

Cæsaris commentarij.

oratorum more, expressa similitudine. Sed Terentio post Ciceronem nihil utilius est: purus est sermo, & uere Romanus, uerum ut oratorem statim & recte sequitur: sic sine imitationis uicio non potest præcedere. Est enim ibi aliud orationis quàm illud genus dicendi oratorum. quod tametsi ab omnibus adiumenta capiat, uult tamen principio ex suis fontibus ut perlucidus amnis defluere. Habebunt igitur præceptores quod duabus horis in gymnasio explicent: tertia hora, id iterarem atq; redintegrarem quod esset utilius, id quod sæpe ad stilum est accommodandum: Cum enim carminis argumentum propositum est, recte Vergilius bis recitatur. cum uero epistolæ, aut argumentationis aut loci communis, utilius in illis tribus libris de quibus dixi pergitur. Mutari hic ordo non debet, nisi cum res tempusq; postulat: Quartam horam scriptarum compositarumq; rerũ emendationi damus, neq; pœnitere nos debet eius temporis, quod in hac consumimus. Sed fit aliquando ut sit aliquid legendum. Itaq; libenter hoc tempore Cæsarem & Terentium proponam, alternatim & explicatione menstrua. Emendatio cõpositionis.

Ordo quintus.

SVperior añus, quasi finis est, eius disciplinæ, quæ latinæ puræ atq; apertæ est orationis, et relaxa-

Græca lingua

tionem quandam præceptionis concedit: hic autem illa repetenda est, & ad linguam Græcam est trans=ferēda. Huc usq; enim latinæ linguæ elementis, tan=quam Romæ *atq; in latio uersata puericia est, nunc ueniendum ad Græci sermonis consuetudinem ceu* Rhegium, *aut ad aliquam ciuitatem aliam, ad quam Græci negociatores cōmeent, & in qua ipsi docto=res, quasi eius ciuitatis ciues, quæ commercium cum Græcis habet utriusq; sermonis sint periti. Sed igi=tur primis mensibus semel quotidie, ex Græcæ lin=guæ grammaticis præceptis aliquid proponatur, in quibus quoniam multa cum latinis communia ea=demq; sunt, facilis est & cognitio & memoria. Se=cundum illos sex, per tres eius anni insequentes men ses, fabellæ* Aesopi *Græcæ, paucæ & faciles, conue=nienter explicabuntur: quibus postremo trimestri tempore* Olynthiacæ Demosthenis *succedent. Hæc igitur in eum annum unius horæ sit occupatio. Al=terius labor in* Ciceronis *libris, quos de officijs scri=psit, suscipiatur, si tres illi libri qui ad sextum ordi=nem adferuntur, sint perlecti.* Non *enim inutile est tertium huic loco relinquere, si absolui nisi præpo=pera festinatione non poßit.* Bis *in Cicerone utilius quotidie est uersari in hac curia, quàm in poetis, quare tertia hora, tametsi* Georgicis Vergilij *desti=nata sit, & primis mensibus tribus legenda ea sint conti=*

continenter, tamen in sequentibus recte interponetur Ciceronis *aliqua oratio, qualis est illa pro lege Manilia, aut pro* Q. Ligario *habita.* Quartam *horam scripturæ & compositioni relinquo. uerum cõiungi huic debent* Rhetorici *libri de orationis ornamentis scripti, quæ ex illa enumeratione quæ est apud* Ciceronem *libro tertio de oratore, & in oratore, sunt petenda: sed perficienda, atq; explicanda horũ præceptio ex* Hermogene. Elocutio *enim ideo præcedere inueniendi rationem debet, quod ad cognoscendum faciliora sunt singula orationum ornamenta: inuentio melius inter scribendum principio ultrò à pueris & à natura adhibetur, quàm ab iisdem docendo poßit intelligi.* Itaq; *uerborum maior hic copia cõparanda est, & cumulandæ sententiarum formulæ.* Nam *hæ sonum & sententias ipsaq; argumenta adferunt, & sæpenumero sunt informatæ atq; figuratæ.* Multos *uidemus qui in quotidiano sermone prudentiam præ se ferunt, at in lingua latina aut græca, parum ab ignaris atq; indoctis differunt.* Hoc *non rerum ignoratio, neq; sententiarum destitutio, sed uerborum penuria parit.* Vtiliter *igitur cum stili exercitatione atq; correctione scriptorum, coniungentur modorum atq; figurarum partitiones, quæ in tradendo singula indicari debent: mixta uero, atq; uariata commonstranda sunt in scriptoribus.*

Elocutio inuentionem præcedere debet.

Ordo quartus.

Graeca cũ latinis cõiungenda

QVinto demum anno tentandũ est ut æquabiliter Græcis atq; latinis progrediamur et coniungamus cum Cicerone Demosthenem, & cum Vergilio Homerum, alternatim horis duabus. Nam tertia primis sex mensibus Grammaticæ adhuc Græcæ est impendenda in qua quædam fortasse de orationis structura, & de syllabarum moris atq; accentibus restabunt. Præcepta rhetorica quartum locum cum stilo occupabunt, qui hic incipit esse ornatior, & ipsis præceptis consentiens.

Partitiones oratoriæ Ciceronis.

Omnes libellos rhetoricos Ciceronis Partitiones superant, si recte explicentur, & mandentur memoriæ. Sed præcepta Herenniana, quæ libro primo tradita sunt, in hoc loco ante partitiones prænoscuntur celerius, neq; sine fruge.

Salustius & Plautus.

Salustius post hanc præceptionem adiungi potest, & Plautus, non exemplorum gratia, quæ in Cicerone & Demosthene duabus horis demonstrantur, sed ob historiam & singulare genus orationis, in quo cum iudicio uersandum est. Sæpe enim cum decore adhibetur, elegantissimum est in oratore: ut in Cicerone Terentiana sunt, quibus sic utitur, ut non solum ornata, sed etiam necessaria fuisse uideantur. Qui huic loco præfectus est, quomodo utendum istis sit doceat, & congesta habeat;

beat, atq; deducta per sua capita, quæcunq; lecta sunt per hosce sex annos, ita ut uulgata, & in consuetudine posita, à poëticis & historicis sint separata.

De resolutione oratorum.

HAbent enim omnes artes propriam quandam resoluendi rationem. sed eam uelim ita tractari ab oratore, ut non solum cognoscat quid factum sit ab aliquo in oratione quem uel legit uel audit, aut etiam quomodo id sit confectum: sed ut & similia ipse efficiat, & quasi quendam penum congestas omnes & res, & rerũ sententiarũq; formas, & earum partes hoc est uerba habeat, & plena poßideat omnia loca artis, tanq̃ copiosus & locuples paterfamiliâs. Sit igitur illa oratorum ἀνάλυσις, orationis compositæ solutio, & reductio ad locos tum uerborum, tum rerum, tum artis. Quæ uero reducuntur, etiam notari à studioso & congeri, & ita deduci per capita membraq; debent, ut quodcunq; in animum atq; nostram linguam cadit, etiam inuenire poßimus, quibus id uerbis uel græce uel latine exprimere concinne & docte poßimus. Verborum locos appello qui in ipsis sententiarum formis reperiuntur: ut in his duo latent loci, Aliquem aliquid colere. aliquem amiciciam colere.

Resolutio oratoria.

Loci uerborum.

Partitio naturę cō sentanea,

Partitio horum recte ex ordine naturæ petitur, qui cum à nobis intellectus erit, facile ubi unum quodq; uestigandum sit cognoscemus. Est autem illa diuisio humanæ naturæ accommodata, qua res omnes in ea quæ sunt in natura, & ea quæ nō sunt partimur. Esse dico non solum οὐσίας, & quæ ὑφεστηκότα, nominantur, uerum etiam illa quæ dicuntur accidere, nouem rerum adtributa, quæ sunt apud Aristotelem. Nō sunt autem particulæ ac uincula orationis. Rursus earum quæ sunt utrunq; aut diuinum est aut naturale aut humanum, neq; quicquam est in natura rerum, quod nō ad horum aliquod referatur. Quod uero diuinū est, aut est re uera id, quod esse dicitur, ut Deus, angelus, cœlum: aut falsum est & ex errore natum, ut Iupiter, Iuno. Eandem etiam diuisionē habent quæ ad hæc duo pertinent atq; adhibentur, uera scilicet religio falsusq; cultus. Naturales autem res, aut simplices sunt, ut elementa & naturæ quatuor. aut compositæ, quæ uel sensu prædita sunt, uel sensu carent. Rursum quæ sensu carent aut sub æthere in ipsoq; aëre generantur, ut fulgur, fulmen, tonitru, nubes, pluuia, nix, grando. aut ex aqua terraq; sumuntur ut mare, fluuius, insulæ continentes. quæ uero sentiunt similem diuisionem habent, & aut in aëre, aut aqua, aut terra degunt. Latißime fusus est ille locus, neq; hic propositum est.

omnia

omni a perſequi. Naturalia uoco quæcunq; ortum & occaſum ſentiunt, præter hominem, cui propter dignitatem proprium locum tribuo. Illa igitur humana ab eo unde nominata ſunt, hoc eſt ab homine, incipiunt. Huic Deus uitam largitus eſt & propter hominem cætera quoq; animantia in lucem produxit. homo igitur uitaq; proponatur, ac ſub utroq; ambos ſexus marem atq; fœminam complectamur. Recte enim coniunguntur contraria, itaq; ex altera parte mors etiam uitæ opponitur. Hominem præterea in corpus animumq; ſecamus, & ambo proprias ſuas habent partes, officia, ſitum, figuram quæ à medicis & phyſicis ſunt petenda. Sed hoc animal quod homo appellatur, & cæteris omnibus præſtat tria bonorum genera tanquam agros & prædia poſſidet, ut animi, ut corporis, ut fortunæ, ut iuſticia, ars, ſanitas, libertas, & quæ ab his ſunt orta ut à iuſticia, ius, iudicium, hæreditas, proprium; alienum, pœna, præmium, ab iniuſticia, cedes, rapinæ, adulterium, contraria enim ut dictum iam eſt ſemper ſunt componenda. Omnia hæc proprias actiones, & priuatos effectus habent. In animo eſt cogitatio, ratiocinatio, recordatio, in corpore ingreſſio, ſtatus motusq;. Sed hæ actiones uel neceſſariæ ſunt, & natura fiunt carentq; ratione. ut creſcere; marceſcere. item quaſi neceſſariæ ut edere, potare, & cæteræ quas nominare

Naturalia

Homo & humana.

Triplex bonorum genus.

Actiones animi peculiares, & corporis.

Precurrentia, & consequentia actiones.

minare turpe est. uel uoluntariæ, ut ambulatio, nauigatio. Has actiones quædam præcurrunt aut sunt coniuncta. ut locus, tempus, facultas, instrumenta, causæ, quædam uero ex omnibus consequuntur. utile, honestum, quibus adiungi sed seorsim, possunt, facile, difficile. Inter præcurrentia etiam locum habet multitudo, copia, uarietas, paucitas, solitudo. Genera quoq; rerum effectarum, nouum, iucundum, admirabile, cæteraq; eius generis recte hisce annectuntur. Operosum est hoc in loco omnia enumerare, uiam indico, per quam non difficile iter erit, quibus propositum est ingredi. Verborum igitur loci, ex hac partitione distribuendi sunt: sed distinguuntur hi ipsi locis rerum quatuor. substantia, quantitate, qualitate & duobus alijs ex quibus unū facio, actione scilicet & paßione. Philosophorum hæc sunt & nomina & inuenta, sed maximas etiam oratori utilitates adferunt. & necessaria sunt in omnibus artibus ac disciplinis. Omnia igitur quæ dissoluuntur ex illis quæ esse in natura dicuntur: per hæc quatuor distincta loca requiruntur. Sed & illis quæ accidere dicimus quasi sub sensum cadant, utimur, itaq; ad primum genus & oratio & orator deportatur. Ad alterum oratio prolixa, & orator copiosus, ad tertium oratio suauis, & ornata, ut etiam suauem & ornatum oratorem appellamus, ad postremum orationem

Quatuor loci rerū.

tionem

tionem habere, & dicere, & perorare: Ita *singula diuiduntur adtributa, in res & personas*. Vtrunq; *uel simplex est ut oratio, lingua, eloquentia*. Vel cō*iunctū ut oratio atq; lingua, uis eloquentiæ, sapientia eloquentiæ, dicendi scientia*. Oīa *uero ita inter se cōnexa sunt ut antecedentia, media & cōsequentia. Sic enim differunt consuetudo, amicicia, beneuolentia*. N*aturæ quoq; ordo in actionum uarietate poterit teneri, ut orationem instituere, orationem facere & ornare, orationem perficere & perpolire*. S*ed actio etiā atq; paßio per duo illa media distinguuntur genera*. D*iuisa enim suis locis sunt, aliquem habere multam orationem de re aliqua, & esse alicuius orationem perelegantem & persubtilem*: A*d cōtraria uero certo ordine ueniendum est, in amicicia enim primum est deligere amicos, deinde amare post augere, hinc confirmare, ex hoc permanere, florere*. O*ffensiones etiam existunt: & irrumpunt sæpe in amicos amicorum uicia, inde ledere, ex quo offendere, & discindere amicicias, contingit, tandem etiam capitali odio dißidere*. S*ed hæc hactenus de uerborum & rerum locis, sunt etiam artis hoc est rationis dicendi alij loci. de quibus in* R*hetoricis libris explicabimus*. N*os si* D*eus nobis uitam largietur pleniora hæc atq; perfectiora paucis annis edemus. neq; uideo quæ uia melior*

Attributa aut rerum, aut personarum.

esse posit quam hæc, assequendi eam orationis copiam & puritatem, qua nostris scriptoribus ueteres præstant. Procul enim adhuc omnes absunt, ab eo fine quem proposuerunt, & adhuc homines iudicare melius de re facta possunt, quam perfectum aliquid consumatumq; dare.

De ratione commentandi.

Longius ab instituta oratione digreßi sumus: redeundum igitur ad quintam tribum est, & addenda quædam sunt quæ deesse uidebuntur. In hoc itaq; ordine non contenti esse debemus, scribendi exercitatione, uerum memoriter etiam quædam non scripta, recitanda sunt. Commentatio. *Argumento igitur ad narrandum, aut probandum, aut amplificandum proposito, dandum spacium est discipulis eadem hora, qua docendum erat, ad cogitandum, ut quod antea scriptum adferre consueuerant, id iam meditatione atq; cogitatione comprahensum pronuncient.* Tria dictionum genera. *Tria enim in scholis facimus dictionum genera, unum scriptum, alterum subitum, tertium quod intermedium est, & meditatum. Sed à stilo principium faciendum est, inde recte ad commentationem fit progreßio: subitæ dictiones, suscipi non possunt, nisi post diuturnam & aßiduam scribendi atq; cõmentandi consuetudinem. Commentatio recte instituetur,*

tur, quemadmodum & ipsa scriptura, in rebus notis atq; quotidianis, aut si illa latine & aliena lingua recitent, quæ in Græcis scriptoribus sunt interpretata. Quales sunt Homeri & Demosthenis narrationes, laudes, uituperationes, amplificationes, & loci communes. Sed poëtica ita referenda sunt, ut foro & circulis, quàm theatris atq; orchestris sint similiora. In oratoribus etiam liberam uolo linguã, ut illa solum retineantur, quibus nihil potest esse melius. quæ uero similia sunt commutentur, si uidetur, & quæ deteriora, quod fieri solet in formis deterioribus aut uocabulis peregrinis, illa semper tollãtur. Id etiam in scribendo est retinendum. Verum adiuuanda industria est teneræ ætatis magistrorum diligentia. & ut in primis ordinibus scripta argumenta dictantur à doctoribus, non inueniuntur à pueris, uerba etiam dantur & singula & coniuncta multa, sic hic prius explicandus est locus ille à præceptore, & ostendenda quæ sint insignia, & talia ut nihil præstantius, quæ item cum latinis similia quæ diuersa. Satis enim profecerit puer, si principio recte coniungit quæ audiuit, si æquabiliter pronunciet, si nõ erret, si scripto similia esse appareant. Post hanc exercitationem, etiam contrariæ rationes inueniendæ sunt, neq; solum quod Demosthenes narrauit, sub cõmentationem subire debet, sed etiã quæ à Media,

& aduersarijs patronis uerisimile est potuisse adferri. Hæc ab illo etiam qui docet sunt præmonstranda. Vt enim optandum est qui crus fregit, illum si alteri innitatur incedere posse, ita etiam dignum maxima spe est, uel illa recte referre puerum posse, quæ ante magister uoce præiuit.

Ordo tertius.

Extremo uero puericiæ anno, ad tertium ordinem adolescens ascendet, ubi cum præceptis rhetoricis Dialectica sunt componenda, & maior dicendi facultas, differendi ratione adiuta, comparanda est. Sed constringere oportet Dialectica ex Aristotelis libris, & exemplis philosophorum & theologorum illustrare. Sunt apud Aristotelem multa quæ non ad doctrinam artis, sed ad præceptorum demonstrationem pertinent, quæ hoc in loco sunt omittenda. Fidem enim iam nos habemus optimo magistro, suis ipse tum temporibus aduersarios habuit eruditos et doctos homines, quos nũc nõ habet, aut si habet, est illud eiuscemodi genus Sophistarum, quod à doctißimis semp scriptoribus est uituperatũ. Artis igitur probationẽ hic nõ requirimus, sed eius postulamus explicationem, & eam neq; prolixam, neq; operosam neq; obscuram sed breuẽ, expeditã, & planam. In Rhetoricis autem id legendum est,

Dialectica, et Rhetorica præcepta.

quod

quod ex differendi ratione petitum est, ut sunt Cice*ronis topica.* In hoc *etiam ordine* Demosthenis & Aeschinis *aduersarias orationes, interpretando explanari uelim, sed partiandæ illæ sunt propter prolixitatem, &* Demosthenis *orationem ad secundam curiam, si absolui in tertia non queat, uelim transferri. Hic illæ commentationes in quarta institutæ continuandæ sunt, & partes integræ, in utriusq; oraione postquam enodatæ sunt, sumpto ad cogitandum tempore, oratione latina memoriter dilatandæ:* Ea *exercitatio recte adulescentulis, cum dimittuntur imponitur, & audiuntur domo reuersi. Surripere igitur huic labori quartam horam oportet: qua cum per tempus & recitationem earum rerum quas cogitatione & meditatione habent complicatas licebit. legere etiam utile erit,* Historicum Salustium, *aut* Cæsarem. *ad* Liuium *tum cũ illi lecti erunt. perueniatur.* Magnus *ille quidem scriptor est, sed obseruator ætatum, & oratori dißimilior, quàm* Cæsar & Salustius. Thucidides *enim magis* Liuio *quam* Xenophon *placuit, quẽ secutus est* Cæsar. Salustius *rerũ breuitatem, uerborũ usu distincto & accomodatione propria cõpensat.* Topicis Ciceronis *de quibus dictũ est, haud scio an* Hermogenes *rectiꝰ præponetur, certe legẽda in hoc ordine*

Hermogenes de statibus.

ordine sunt quæ de statibus scripsit. Ita enim loco secundi libri qui est in Herennianis substituetur. Primus in quarto ordine interpositus est: quæ in quarto libro docet Herennius illa in quinto proposui explicanda. Tertius liber, quæ de memoria habet, nolim explicari. Impedient enim cursum nostrum, & artis obseruatio, & Dialectica præcepta magis q̃ illa, memoriam augent & stabiliunt.

Ordo secundus.

POstquam ingressus est, adolescentum cœtum, qui antea puer erat, mature ubi annum in tertia tribu uersatus est, ad secundam progredietur: in qua finem ornatæ orationis præcepta et principium apti generis dicendi reperire oportet. Sed quæ finitima sunt, non solum continuari debent, uerumetiam coniungi atq; neceßitudine uinciri. ita & in ornatu id quod decet inchoari, & in eo quod decet ornatus perfici debet. Tarde Cicero & tum cum sciret quid aptum, quidq; ineptum esset, didicit remos inhibere quid esset? Tironem etiam docuit, tum cum limari ab illo sua scripta pateretur, ineptum esse fideliter inseruire ualetudini. Quamobrem coniunctam habere debent exercitationem, sed in præceptione tenendus est ordo, & modus, de quo explicatum est. Demosthenis igitur oratio quam

pro Ctesiphonte habuit si in tertia classe non potuit exponi, hic explanetur. Si uero ibi explanata sit, delegatur ex cæteris quæ uidebitur idonea. Dialectica præcepta, de quibus scriptum est ita cogi & explicari debent ex Aristotele, ut duos annos in illis maneant adolescentes, sed tamen in hoc loco exercitatione magis, quàm præceptione sunt erudiendi. Itaq; eadem hora qua præcepta docentur, dialogus aliquis ex Platone aut Cicerone interponatur, in quo demonstretur utendi modus, & recta doceatur disputandi ratio. Partitiones etiam Ciceronis hic proponendæ sunt, ad illustrandam firmandamq; memoriam. Vtilißimus hic libellus est, ut antea proposui, & in omnibus scholis retinendus, sed explicandus expedite. Pergant etiam in commentando & scribendo adolescentes, & seuerius iudicium scriptis corrigendis adhibeatur. Incipiet enim iam sese stilus foras efferre, & expectare omnium ordinũ iudicia. Post cognitas partitiones ueniendum est ad Ciceronis oratorem, ubi breui indicatur quid deceat, & quas res oratorem habere oporteat, & quomodo perficiatur. Isto enim anno fundamenta operis perfecti iacienda sunt, quod uigesimo primo absolutum uolumus uidere.

Exercitatio magis quam præcepta hic requiruntur.

Ordo primus.

Decimus

Aptum dicendi genus.

Decimus quintus annus libertatem adolescentibus promittit, & uiã ad primas artes maximasq; disciplinas patefacit. Post hac enim conandũ est ut illud aptum genus dicendi adhuc adolescentes consequantur. Aptum appello, quodcunq; literarum est, & doctrina illuminatum, & liberale, & rebus personisq; accommodatum. Hoc teneri haudquaq̃ potest absq; maximarum atq; adeo prope omnium rerum cognitione. Et quanq̃ ne ornatus quidem affingitur honestus, sine liberali artium atq; Philosophiæ doctrina: tamen quo perficitur hinc habet, quod ex apto defluxerit. Quæcunq; igitur philosophus summiq; uiri profitentur, elaborare decet ut adipiscamur: qua uero uia ad huius studij arcem perueniamus, paulo post aperiemus. Ergo tenendi adhuc sunt, hoc anno sub magistris & maiorum rerum facienda principia, & discenda ea sunt, quæ postquã assecutus est adolescens, publicis doctoribus commendetur. Proponendus igitur hic est liber Aristotelis περὶ ἑρμηνείας, & alter liber eiusdem scriptoris de mundo, qui duo eodem anno, una aliqua hora quotidiana facile percipiuntur. Tradenda etiam Arithmetica sunt, & excutiendus Mela, & proponendus Proclus, & cognoscenda sunt Astrologiæ elementa. Demosthenes adhuc etiam & Homerus interpretabuntur, quibus Ciceronis oratorios libros adiungo.

Aristoteles de interpretatione itẽ de mũdo.

Dandũ

Dandum etiam ocium scripturæ & stilo est, neq; deponenda commentandi exercitatio. Deniq; quid superiori & proximæ disciplinæ desit, & quid principio sit opus in sequenti, diligenter oportet considerare.

De festis diebus, & de sacris lectionibus.

HActenus percurrimus omnes classes, & tributim omnem puericiam digessimus: sed quoniã pietatem finem statuimus studiorum, & de sacris literis nihil diximus; de his aliquid etiam est præcipiendum. Festi igitur dies huic auscultationi comparati sunt, quam rursum in duas partes distribuimus. Vna seorsum à populo in ipso ludo constitui debet, inde continuo ad alteram & ad publicam ducenda tota multitudo est, & collocanda cum populo. Verum in concionibus ordo præscribi non potest: est enim ibi seruiendum tempori. Modestiam autem & silentium, & attentionem summam esse oportet, inprimisq; cauenda est omnis populi offensio. Imaginem enim honestæ disciplinæ, iuuentus præ se ferre debet. Ornamentũ nõ minimũ ciuibus adfert, liberorũ modestia, sanctimonia, studiũ: dehonestant Rempublicã, qui secus quã deceat, faciũt. In puerili gymnasio, curandũ est, ut anteq̃ ad liberas auscultatiões ueniatur,

Studiorũ finis pietas.

ueniatur; cognitam habeant adolescentes, omnem Christi atq; Apostolorum historiam, & ex Moyse quædam præcipienda sunt, quibus rerum gestarum & antiquitatis memoriam collegit, & utilia sunt ad cognitionem doctrinæ Christianæ. Festis diebus etiã is qui præcedit coniungi decet, in illis ciuitatibus, quæ unius diei solum uacationem habent. Postremo ordini cathechismus explicandus est. tribus insequentibus, latino sermone uersum esse debet id quod interpretatur. Cæteris melior oratio, sermoq; græcus utilior. Duobus etiam primis Hebraica grammatica tradi debet, & cum primum fieri poterit, in ea lingua Moyses interpretatione est explanandus. Hoc modo primus, atq; postremus dies, Deo dicandus est, qui intermedij sunt, illis recordationem quidem et cogitationem diuinitatis deponere non licet, eloquentiæ tamen & philosophiæ studia licebit recolere, sed ita ut ad illustrandam religionis doctrinam suscipiantur. Pomeridianis horis, postremo die hebdomadis, in Musicis omnes exercendi sunt. Liberalis enim est huius artis & scientia, & usus, & nisi à pueris cõdiscamus, sero grandiores cognoscemus.

Hebraica grammatica.

Musica.

De publicis & liberis lectionibus.

Publicorum professorum collegium, tanq̃ populi liberi ciuitas est, in qua populus ipse sibi leges con-

ges constituit, & quibus ipse se astringit: qui uero in nouem ordinibus uersantur, quasi patresfamilias sunt, qui ut liberis ita discipulis suis imperant, quod honestum putant. Sed cum lex sit, qua Deus uniuersum mundum regit, nihil est quod omni ex parte legibus sit solutum. Itaq; ut liberum populum, ita etiã illas auscultationes propter illas pueriles, in quibus indulgetur minus, appello liberas, sed tamen certis legibus distinctas. Qui igitur summis, suisq; doctoribus proximi sunt, sed tamen longo interuallo proximi, admitti debent ad hunc cœtum. Finis enim studiorum non ita procul ut ante, uideri potest, quem quisq; inde ab initio debet proponere. Fecimus autẽ unum & primum studiorum finem, pietatem literatam, sed multis illa certe modis exercetur: & diuidi se ipsa patitur in uaria officia, tanquam partes. Manet enim ipsa non in Theologis solum, uerumetiam in iurisperitis, & medicis, & in omni professione manet. Et docere religionis ignarum, & defendere innocentem, & curare ægrotũ, ad charitatem atq; Christianã religionẽ pertinet. Primum igitur unusquisq; se in consilium adhibere debet, deinde etiam magistros & parentes, & amicos aduocare, atq; prouidere ad quod uitæ genus sit aptius. Ad quodcunq; uero idoneam se naturam habere sentiet, ad id & consequendum & ornandum, omnes et co-

Varia pietatis officia.

E gitationes

gitationes, & lectiones, & scriptiones, & auscultationes referat, atq; ita referat ut in eo cæteris conetur præstare. Deprauatū genus est hominum, etiam eas quas ignorant artes exercentium, & qui eo ingenio sunt, neq; theologi, neq; iurisperiti, neq; medici, neq; doctores ulli sunt ferendi. Non enim illud sine miserabili iactura fit acuminis, ualetudinis bonorū, & mentis. Neq; quisquam se potest excusare multitudine, qui minus sit assecutus, quàm profiteatur. Sed ut in theologia, ita etiam in cæteris disciplinis, summum est, animi integritas, metusq; Dei. minusq; nocent indocti, si sint boni, quam docti, si negligant uirtutem: uterq; tamen in uicio, sed minus alter, uerum in uicio tamen, qui dum id suscipit quod efficere non potest, uel priuati proprijq; studij, uel impudentiæ, uel stultitiæ, & inertiæ significationem præbet. Sit igitur is qui ad publicum ludum & istam liberalem disciplinam deligitur, natura ita bonus, ut uelit: & ita industrius ut poßit, ita etiam erecto & alacri animo, ut nolit exercere priusquā eam quam sequitur artem, didicerit: atq; cum hac uoluntate ad doctores ac magistros deducatur.

Integritas animi & Dei timor.

Quales publicæ interpretationes, & quales priuatæ lectiones esse debeant.

Sed

SEd habet unaquæq; ſæpe ars ſcriptores multos, uarioſq; libros, & multiplicem præceptionem, quibus in rebus electio eſt facienda. Incidere igitur *in libros inconſiderati hominis eſt: ſummo cum conſilio, ſummoq; iudicio qui prudentes ſunt, accedunt. Qua in re multos illa uulgata ſententia fefellit, nullum eſſe librum tam malum, qui non aliquid boni habeat: ſed ad id genus tum eſt tandem ueniendum, cum quod optimum eſt, & quod obſcuritatem magnam habet, & ſine quo habere id quod ſequimur, non conceditur à natura.* Non *omnia poſſunt etiam quæ utilia ſunt explicari in ſcholis.* Itaq; *neceſſaria & optima ex optimis autoribus deligere præceptores oportet, cætera relinquenda priuatis ſtudijs ſunt ſine quibus impedita atq; imperfecta doctoris induſtria eſt. Autorum explicatores, domi leguntur utilius, quàm interpretentur in ſchola:* Vt *enim ineptū eſſet Bartholum à iuriſperitis recitari, Iuſtiniani ſcripta negligi: & ut imperite, ac fœde fecerunt Sophiſtæ, qui Scotum & Thomam interpretati in ſuis cœtibus ſunt, ita peræq; propè illi atque hi, qui in explanandis Aphoriſmis, atq; ſimilibus Hippocratis ſcriptis, Galeni commentarios exponunt & interpretantur.* In *ſacris literis, quod præter Euangeliſtas, & epiſtolas Apoſtolorum, & Moſis atq; Prophetarum libros explicatur, propè totum*

Cōmentaria priuatim legenda.

intempestiuum est. Ne Chrysostimũ quidem aut Basilium, & his æqualem Gregoriũ legendum in gymnasijs theologorum censeo: sed domesticis studijs committo. Idem ego de omnibus Philosophiæ studijs iudico. Poëtæ excutiendi sunt, qui graues sunt, & ad intelligendum difficiles, post bene perceptum Vergilium & Homerum: & quoniam multa sunt Poëtarum genera, ab utilioribus est incipiendum. Ouidius propè in omnibus facilis est, ideoq; relinquendus bibliothecis & legendus domi. Fastorum tamen libri, & utilitatem habent, & difficultatem. Metamorphosis legi omninò debet, at scholæ curriculum impedit. Necessaria magis est Comicorũ & Tragicorum Græcorum explicatio: sed non omnium, uel Tragœdiarum, uel comædiarum, sed Comicorum & Tragicorum omnium, sunt enim insignes ut Euripides, Sophocles Aeschylus: Aristrophanem propter nubes, & calumnias aduersus optimum philosophum Socratem fictas atq; conflatas dè ludo eijcerem, nisi utilitas in eo tanta esset, ut cum optimis comparetur. Pindari hymni, & Horatianæ odæ rectè componũtur & leguntur. Idem de Vergilij æglogis & Theocriti Idillijs statuo, sed Vergilius puerili ludo & inferiori ordini aptior est. Theocritus in hisce liberis scholis collocandus. Prætererieram Hesiodum, qui cum primis est legendus, neq; male Homero suc=

Graues, & difficiles Poetæ explicãdi

Comici & Tragici.

Aristophanes.

ro succedit. Aratum mathematicis cum Dionisio *re linquo*: Lucretius Philosopho *dignus est, sed tamen concedimus illum ocio poëtarum. est in illo uetustas uerborum, & sententiarum insignes formæ sunt, cũ de diuinis ac naturalibus rebus agit.* Multa habet *quæ uel oratorem deceãt.* Olim grammatici *poëtas interpretabantur, poëtæ uero tantum sua recitabãt nostra tempora requirunt, ut idem sit & grammaticus & poëta*: In historijs *facilis est lectio.* Nostri *scriptores sine interprete cognosci possunt.* Ex Græcis Thucidides, & Herodotus, & Xenophon, *si intelligantur, cæteros domi licet cognoscere.* Ex Thucidide *sententiarum grauitas, & plenorum uerborum collocatio, ex* Herodoto *lepos & profluens genus compositionis, ex* Xenophonte *suauitas & puritas orationis locupletatur.* Deniq; *multa* Herodotus, *plura* Thucidides, Xenophon *nihil non habet quod sequaris.* Hos *tres* Cæsari & Salustio, *quos dedi inferioribus ordinibus sentio adiungẽdos.* Liuius *etiam opus habet explanatione, sed pars quædam eius est delegenda. neq; tres illos uolo absq; intermissione totos legi: post singulos libros plærunq; permittitur nouæ materiæ interpositio.* Ex philosophis *illa legi & proponi uolumus, quæ necessaria sunt, & à doctoribus cæterarum artium non explicantur. ut* Dialectica, Ethica, Politica, & Physica,

Lucretius.

Historici

Quæ ex Philosophis prælegenda.

quæ à mathematicis & medicis non leguntur, ut libri Aristotelis de anima, & de naturalium rerum auscultatione, & Platonis Phædo. Animalium historia, & humani corporis compositio, & herbarum uires atq; notiones, & Platonis Timæus, & similiũ rerum libri cum medicis ad exponendum diuidi possunt. neq; potest mathematicus ea ignorare, quæ sunt apud Aristotelem de cœlo & mundo, quapropter hi duo philosopho adsint, qui non omnia simul docere potest, tametsi omnia debeat scire atq; profiteri. Iurisperiti etiam non omnia quæ sunt apud Iustinianum necesse habent excutere, quædam discipulorum sunt relinquenda industriæ, sed quæ necessaria sunt, & uiam atq; rationem habent, et insignes utilitates adferũt, in illis professio suscipienda est. neq; ignarus potest esse, ut nec consuetudinis & iuris, sic etiam quæ de moribus & Rep. à philosophis sunt explicata. quapropter etiam hic postq̃ aliquid in sua arte absoluit, ex philosophis potest adferre quædã tum cum est in hac literarum disciplina necessarium ad absoluendum istud annorum quinq; curriculum.

Iurisperiti

Neq; immunis Theologus, qui scire debet, quomodo Respublica sancte gerenda sit, & quomodo cuiq; inter ciues suos, & in sua familia sit uersandum, quare ad huius etiam officium pertinet docere cum est opus.

De Aristotele, Platone, & Cicerone.

Sed ex quibus sumenda sint quæ traduntur facilis est consyderatio. Habent enim omnes artes suos autores in quibus errari non potest. Theologia duo genera certißima, perpetuaq; scriptorum habet. Apud medicos Hippocrates ac Galenus perfectam artem confecerunt. Apud Iurisperitos nihil melius est quam quæ Iustinianus edi curauit. Philosophis Aristoteles datus est, qui præter tot tantarumq; rerum explicationem, qua prope omnia docet non solum eam artem perfecit, qua in omnibus artibus utuntur, & quam ad omnem disputationē adferunt; sed etiam dicendi rationem pulcherrima doctrina dilatauit. Plato inter philosophos copiosißimus & amplißimus autor, dialecticorum exempla omnia suppeditat. neq; mihi dubium est, dialecticos in arte perficienda multum Platonis uestigijs adiutos esse. Sed & orator quàm plurima notare apud Platonem potest, quæ in dicendo imitetur. Inter sapientes eloquentiæ laus summa, & inter eloquentes sapientiæ locus primus huic philosopho debetur. Ita copiosus est in eius sermonibus Socrates, ut quodcunque demas id te credas amisisse, ita docet ut discere uelle uideatur, ita concedit ut uincat, ita uincit ut non id uoluisse appareat. Itaq; post pueritiæ

Cuiusq; artis autores perfecti.

Aristoteles.

Plato.

educationem interpretandi sunt huius dialogi, in quibus amplitudinis quidem & doctrinæ delectus haberi non potest: sed tamen ad studiorum progressiones & ad ludi distributionem necessaria quædam & ratio & electio poterit accommodari. Quod uero nomen inter græcos philosophos Plato, id inter Latinos oratores Cicero est consecutus, sapientissimus orator, eloquentissimus philosophus, oratorum omnium clarissimum lumen, & unicum omnium literatorum exemplum. Summa laus apud hos tres manet, & ut uideo mansura perpetuo est: & cum omnia cognoscenda sint, quæ scripserũt, tamen quoniam ab uno atq; altero interpretari omnia non possunt, partitione opus est, ut doctorum unusquisq; quod suam artem ornare posset, putet ad se pertinere. & quoniam ne sic quidem omnia legi possunt, seligi primum necessaria deinde optima debent, cætera priuatis studijs atq; bibliothecis concredenda.

Cicero.

Distributio publicarum lectionum.

COmmunicare igitur inter se doctores docendi munera oportet, & distribuere operas, quod si facient, & in curijs inferioribus firma fuerint posita fundamenta, facile reliquum opus exædificabimus. Sunt autem lectorum atq; doctorum nouem genera. Vnum quod sacras literas explicat, quod primum est

Nouem lectorum genera.

mum est & summum: alterum iura legesq; interpretatur, tertium quod conseruandæ recuperandæq; sanitatis præcepta tradit. Atq; in his tribus exercetur uita humana. Quicquid enim agunt homines, faciũt id aut animi mentisq; causa, quam Deo deuotam uolunt: aut ob uitæ custodiam atq; productionem: aut ut sua honeste tueantur, amplificent, tradantq; quasi per manus nepotibus. Nostris paucis hisce sæculis qui horum trium doctrinam consecuti essent doctores uocari placuit, nouo uocabulo in hac significatione. Vnaquæq; enim ars suos doctores habet, quẽadmodum rhetorica Hermeten *&* Hermagoram *habuit, et Grammatica Aristarchum. Sed sunt quidam quibus horũ trium professio, uel difficilior est quàm ut assequantur, uel non exercere cupiunt: ociumq; quod malunt sequuntur. Itaq; quartum genus quoddam est, quod se mathematicis dedit, in eoq; ætatem consumit. Est etiam quintum amans antiquitatis, quod in legendis scribendisq; historijs cõsultum esse cupit sibi uitæq; humanæ. Quidam etiam excellentes ad lætitiam nascuntur ingenij ui, & impetu mentis plurimum ualentes ideoq; numerosum genus orationis, sequuntur, quod est poëtarum. Nonnulli uero philosophorum sunt administri, ut dialectici, aliqui oratorum, ut rhetores, aliqui poëtarum atq; historicorum ut grammatici, quod genus nos hodie in pul-*

Theologi. Iurisperiti. Medici. Doctores uulgo. Mathematici. Historici. Poetæ. Dialectici. Rhetores Grammatici.

terem detrudimus, & molestißimis astringimus laboribus: minimum nunc inter eruditos, olim uero professione magnum. Itaq; de hoc dictum est ante, nunc de his octo est explicandum.

De consensu artium & rerum omnium, & de numero lectionum.

Philosophus sciẽtiam rerũ, orator eorum quæ sciri possunt uerũ ornatum ꝑfitetur.

SEd in his octo philosophum atq; oratorem continere uolo, quorum uterq; omnia posse profiteri atq; suscipere uidetur. sed alter scientiam rerum, alter dictionem uerumq; ornatum illorum quæ sciri possunt pollicetur. Vt igitur hos duos in horum omnium de quibus dictum est, scholis uersari atq; educari uolumus, sic etiam hi in minorem numerum poterunt constringi. Nemo enim omnium perfecte unius alicuius doctrinæ scientiam consecutus est, qui cæteras ignoret. Omnes enim res quæ in natura positæ sunt, quæue ortũ & occasum habent, perpetuo & sempiterno connexæ sunt inter se uinculo quodam societatis: & quemadmodum res sic rerum etiam disciplinæ perenni sunt constrictæ necessitudine, ut qui unam earum perfecte norit, reliquarum quoq; profiteatur se non esse ignarum. Cõtrahamus igitur octo illa genera, & ex paucioribus magistris gymnasium constituamus. Nam & poëta ille etiam historicos interpretari poterit & gram-

Disciplinæ īter se connexæ.

maticam

maticam pueritiæ præfecimus. Quocirca septem sunt qui docebunt quotidie, ita ut neq; horas neq; scriptores eosdem occupent. Etiam eiuscemodi uiam poterunt atq; rationem ingredi, ut unus ex omnibus artibus ac literis quantum satis est ad excellentem doctrinam consequatur. De iurisprudentia & de medicina, & Theologia nullum dubium est, quin qui discere tantū non potest quinq; illis annis si unam quotidie horam uersetur in scholis, ut per se reliqua assequatur, ineptus sit ad illam doctrinam ad quam se applicarit. Neq; dubium aut ambiguum est, poëtam illum atq; historicum iactis his initijs quæ in illo inferiori gymnasio fieri uolumus, tantum quinque annis efficere posse, ut in omnibus scriptoribus egressus adolescentiam iuuenis expedite sine interprete uersetur. Dialectico plus oneris impositum est. Nam quoniam Philosophi, qui prope solus omnia profitetur, administer est, rationem differendi, & perspiciendi atq; diiudicandi omnem debet tradere. uiam etiam patefacere ad earum rerum scientiam, quæ de moribus & uita, & quæ de rebus naturæ à maximis uiris, hoc est à sapientißimis tradita sunt, & cognitione in hac uita quantulacunq; est compræhensa. Qua in re adiutorem illum rhetorem habet, oratorum famulū, qui non solū dicendi præcepta dare atq; perficere debet,

Septem doctores publici.

sed etiam

ſed etiam ea cognoſcere omnia, quæ in oratione ſub ſtili acumen ſubeunt, & ſuſcipiunt orationis cultum conuenienter ac honeſte. De *diſſerendi ratione nemo melius* Ariſtotele *explicari poteſt.* R*hetorici libri extant complures, ſed tres illos* Ariſtotelis, *& tres de oratore, &* Hermogenis *quos ſcripſit de dicendi formis uicioſum eſt ignorare, reliqua quæ de moribus præcepta ſunt & ſcribuntur de natura, à* Platone *&* Ariſtotele *ſunt petenda. Sed & morum optimus informator, & in ciuitate præclarus conſiliarius theologus eſt.* Per*curri breuiter quæ de his ſeptem doctoribus ſentirem, cætera inſtitui commodius quam præcipi poſſunt.*

Quæ lectiones theologo, quæ iuriſperito, quæ medico, quæ cæteris ſint audiendæ

Q*Vi igitur neceſſarias illas tres hominum uitæ artes cognoſcere uolet, ita in his eos uerſari oportet, ut à cæteris artibus ac literis, quibus adiuuari hæ tres poſſunt nõ deficiantur.*

[margin: ...uę theologus ſci debeat.]

Itaq; *ille* Dei *quaſi interpres, & cœleſtium rerum præco* Theologus *neq; ignarus ſit diſſerendi, dicendiq; ſcientiæ, & eos cognoſcat, à quibus conſeruata eſt antiquitatis memoria, & præſcripta ratio conſtituendarum* Rerump. *atq; familiarum.*

[margin: ...uæ iuriſperitus]

Iuriſperi*tus uero, indignus eo nomine eſt, ſi quæ de* Rep. *&*

moribus

moribus philosophi statuerunt, ignoret, & amouendus à sua curatione, si non cognouerit: quid maiores eius, à quibus leges accepit, egerint, neq; legerit ætatum omnium historias. & quoniam Christiana Resp. quasi imaginem diuinitatis exprimere debet, tenenda etiam sunt illa, quæ Deus literarum monimentis mandari à sacrarum rerum scriptoribus uoluit, & cum è ludo iurisperiti multi prodeant regũ cõsiliarij, & gubernatores Rerump. uox quoq; eius rhetoricis præceptis est erudienda, & quia sæpe disceptandum est de iure scire cum cæteris & illa debet quæ traduntur à Dialecticis. Medico etiã multa necessaria sunt ad artis suæ perfectionẽ. Nisi enim illa habeat quæ philosophi de rebus naturæ explicarunt, non poterit cum magnis numerari. à philosophis igitur & mathematicis multa cognoscenda sunt, si iustum curriculum suæ professionis uolet percurrere. quo in studio, si disserendi scientia destituatur, deficient etiam ea quæ in perfectis medicis sunt summa. Non infinita sunt ea quæ præcipimus, uix credi potest, quantas & quam multas res humanus animus annis quinq; poßit perlustrare, post illam puerilem disciplinam. Difficilis est fateor & plena fastidio sex horarum auscultatio, at qui quatuor recusat, haud scio an dignus ut appelletur sapientiæ studiosus uideri debeat. In hoc igitur publico & literato

Quæ M[edi]cus.

terato gymnasio, ut in illo puerili quatuor horas quotidie doctorem audiat, qui uolet esse magnus, aut theologus, aut medicus, aut iurisperitus. Ita uero quatuor hæc tempora dispenset, ut quinto sextoq; atq; etiã septimo carere poßit, ita uero illi sex interpretes sua tempora distribuant, ut quæ singularia sunt artis et cætera studia non multum adiuuent, tum legant cum parti alicui utilius est alia cognoscere. Neq; enim necesse habet theologus audire medicum, cum tradit curationem oculi. at cum anatomica docet, & humani corporis partes & partium singulorum actiones & figuram indicat & oculis subijcit, ac quasi contrario ordine quam eo, quo factum est, animal in quo mens est, resoluit, eò utiliter & poeta & Theologus accedit. Cum igitur liber Galeni de pulsibus legitur, minui potest labor Theologo, cum Iuris interpres singularia quæ in Iustiniano sunt capita explanat, abesse potest, at cum quatuor illi libri interpretantur, quibus informatur iuris consultus, non potest sine inertiæ suspicione abesse. Sunt omnium artium scholæ quædam, quæ ad omnes non pertinent, quæ ita digerendæ sunt, ut studiorum continuationem non disturbent. Quod de tribus dictum est, id etiam ad illos pertinet, qui in nulla profeßione necessariæ doctrinæ ætatem degunt, neq; certis limitibus sese coërceri patiuntur,

...nato
...ia.

sed ocio

ſed ocio tantum & literarum oblectatione acquie= ſcunt: quibus tamen ita uiuendum eſt, ut illorum eti am uitæ ac ſtudiorum ratio apud amicos conſtet. Nam quo liberior eſt, & quo minus ſe arctioribus artium atq; literarum locis includi patiuntur, eò plus poſſunt percipere.

De duplici partitione in oratione docendi.

TEnenda igitur in ſcholis duplex uia & ratio eſt. Vna eſt qua generatim res uniuerſa tra= ditur, nulla diſceptatione cum aduerſarijs ſuſcepta. altera ſingularium rerum, quæ proprias quaſdam habent & exceptiones, & quæſtiones, & demon= ſtrationes. Eſt etiam altera partitio, quam maxime ſequi in ſcholis utile eſt. Aliquando enim ſine auto= re, nulloq; propoſito ſcriptore ars aliqua docetur, tum cũ magiſter id poteſt breuius & planius quàm hi qui de eadem re ſcripſerunt: id quod fieri poteſt in mulis: aliquando etiam liber adfertur in quo rur ſum bipartitus eſt modus in docendo. Nam aut oĩa ordine atq; ſingulatim excutiuntur, aut quædam omittuntur, & ea ſolum aperiuntur quæ ſunt neceſ ſaria, quod in multis fieri poteſt apud Ariſtotelem & Galenum aliosq; ſcriptores multos, quibus ali= ter quàm ars ipſa deſiderabat, propter aduerſario= rum opiniones explicandum de rebus fuit. Itaq; illa

Generalis artium traditio.

generalia quotidie, nisi à quatuor tradi debent, quo omnibus cognoscere liceat, tres uero semper sint, qui illa, quæ singularia sunt, & redacta in angustos quasi carceres earum artium, quarum quæstiones habent, eos doceant, quos proprios perpetuosq; auditores habent. Hoc modo assequemur quod uolumus, ut intelligamus ac teneamus illam omnium artium atq; literarum consensionem.

De priuatis studijs.

AT *parum adferunt utilitatis scholæ, si secreta studia domi nulla instituantur. Etsi enim nulla sine interprete ars perfecte percipi potest, & magnam uim ad excitandum eius qui docet uox habet, tamen in eodem sunt uicio, & qui nullam exercitationem domi suscipit, et qui se non sinit à doctore erudiri. Sed utrunq; suas habet & commoditates & impedimenta. Nam qui in cœtu cum multis instruitur, is hoc quasi emolumentum capit, quod quæ domi magno cum labore uix consequi poßit, ea ipse breui auscultatione, certius & perfectius cognoscit quàm si sua inuestigatione nitatur. illud uero est in eadem re incõmodi, quod sæpenumero mentis acies in ludo turbatur, & animus ad alienas cogitationes rapitur, quod in nostra bibliotheca cum aßidemus, tametsi accidat etiam, tamen quæ ibi aguntur, que-*

Vtilitas publicæ auscultationis.

runtur,

runtur, inueniuntur, quasi priuata sint, & à nobis nata sic amplectimur, ut firmius animis inhæreſcāt. Sunt aliæ multæ utilitates utriusq; rationis, ut nisi coniuncta sint hæc duo, paruos progressus in literis facturi simus. Sed in frequentia, & in publico cō uentu simplex labor suscipitur, in quo diligens attentio, firmaq; memoria requiritur: ille uero secretior locus duarum rerum curationem præscribit. Vna est ut reuoluat, quæ in ludo tractata sunt, ut & singula intelligat, & quæ distracta fusaq; sunt ad cō munes generum summas reuocet: altera ut ea priuatim legat quæ doctoris industriam subleuent, et quarum ui sæpe id quod tantum inchoatum à præceptore notatur, perficiatur, ut plenus progressus, expeditus ascensus ad arcem doctrinarum fiat. Sæpe etiā accidit, ut uel morbo impediti, uel occupationibus necessarijs auocati, non adsimus cum docetur: aliquando etiam utile est, aut comœdiæ, aut orationis, aut historici libri recitationem præterire, tum cum uacamus melioribus, quas incommoditates priuata diligentia, nostraq; bibliotheca compensat, si sine magistro & interprete nos eadem assequamur. Semper aliquid ei qui uolet esse magnus est aut querendum, aut audiendum, aut legendum, aut disputandū: qua in contentione cum soleat satietas & fastidium esse reficiendus animus uarietate, relaxandus inæ-

Duo priuatis studijs agenda.

F qualitate

qualitate, ut facilia grauibus, læta tristibus, noua ueteribus succedant, & à lectione ad scriptionem, à scriptione ad ludum, à ludo ad sermonem eruditum, & literatam familiarium cōgressionem accedatur.

De disputandi & declamandi consuetudine.

PRæscriptum iam à nobis est, quō puerilis educatio instituenda sit, & quomodo quinq; illi anni postremi ad perfectionem studiorum sint impendendi. sed de discipulorum exercitatione quæ in ludis suscipi solet nihil est hactenus explicatum. Sunt autem eius consuetudinis duo genera, unum disputandi, alterum declamandi. Disputandi morem bis per mensem repeti moderatum laborem habet. Hic ut excitatio adhibeatur, quatuor sunt personarum genera comparanda, Vnum eius est qui respondebit. alterum eorum qui subsidium adferent. tertium id est quod in aduersariorum subsellijs sedet. quartum quod uniuersam disputationem moderatur. Hæc quatuor in duo contrahi possunt, ut unum disserentium sit, alterum iudicantium. Qui uero quæstionis capita proponit, unus sit, isq; solus interrogetur ab his qui contra disserunt: Sed quia fit sæpe ut subito nobis in mentem non ueniat, quod commode respondeatur, addi huic tres debent, qui quasi subsidio ueniant: sed dandæ illis respondendi partes sunt, ab eo

qui omnibus præest, ne perturbatio oriatur, & ne se impediant mutuo, qui tanquam in conuiuio rex sit, & unicuiq; quod uidebitur imperet. Iudicare au*tem hunc non prius oportet, quàm recurrat interrogatio ad primum. huic enim illud concedendum est ut bis rogetur:* Liberalis *decet hunc cœtum disquisitio, carens metu & stupore, uerum alacritas adsit & reuerentia.* Itaq; *is qui iudex constitutus est, æstimatoris se partes, non obiurgatoris sciat sustinere.* Pudor *enim subrusticus & metus, etiam quæ meditata scriptaq; habemus, tollit, alacritas uero & excitatio multa sæpe subito, & ex tempore inuenit, quæ cum domi sumus, nobis in mentem non ueniunt.* Res *etiam ipsa quæ ad disceptandum proponitur, talis sit, ut in contrarias partes uerisimiles sententias habeat, id quod non solum in probabilibus fieri potest, sed necessaria quoq; pronunciata sæpe habent aduersarias opiniones, quibus uidentur infirmari.* Conclusiones *& argumentationes apertæ, breues, atq; simplices, & singularum partium interrogationes, utiliores principio sunt, quàm perpetuæ & prolixæ orationes, & argumentorum multitudo: ad quas tum ueniendum est, cũ facultatẽ disputandi fuerint maiorem consecuti. at in his ipsis longis probationibus, siue scriptæ adferantur, siue nascantur ex ipsa cõcertatione, epilogi breues atq;*

Officium eius qui disputationi preest

Quæ in disceptationem uocanda.

concinni faciendi sunt, qui efficiunt, ut intelligen= ter disceptent. Sed aptissima disputationibus breui= tas est, & ad intelligendum, & ad uitandum insidias aduersariorum, idonea. Suspecta enim est proposi= tionum conglobatio, & sæpe à Sophistis adhiberi solet. Protagoras quidem à Socrate facete laudan= do irridetur, quod & copiose & breuiter interro= gatus respondere possit: at ab eodem oratores uitu= perantur qui σμικρὰ ἐρωτηθέντες δόλιχον κα- τατείνουσι τοῦ λόγου. *Sed hæc de disputandi con suetudine: declamandi uero exercitatio, non solum ad uerborum uolubilitatem sed etiam ad præcepta philosophiæ est accommodanda. ut non solum diser ta sed etiam sapiens sit oratio. Triplex autem eius est tractandi uia, aut enim subitæ dictiones fiunt, aut dato ad cogitandum spacio, aut domi sunt scri= ptæ. Prima illa duo expeditam promptamq; requi= runt memoriam: postremum etiam ex scripto po= terit recitari, quam consuetudinem non possum im= probare. si non solum pronunciet adolescens quæ scripsit, sed etiam quam uiam sequutus sit indicet. Hoc enim modo & plus utilitatis auditoribus ad= fertur & ipse qui recitabit maiorem ad scribendum diligentiam & curam est adhibiturus. Poematum etiam & carminum festiuorum, & concinnorum et argutorum lectiones admitto: est enim liberalis ex= ercitatio*

Breuitas disputationibus aptiss.

Triplex declamādi ratio.

ercitatio, & magnas utilitates adfert etiam in orationem. Hæc de declamandi, scribendiq; consuetudine, sine qua exercitatione nihil præclarum in literis effici potest. Sed uidendum est ne in disputando loquaces, & in scriptura tumidi & inanes & impuri & negligentes simus. In disceptando subtilitas, & acumen, & in stilo uis & ornatus & elegentia & diligentia laudari solet. Scribere quàm plurimum, & disputare quàm sæpißime oportet: neq; prolixitate diligentiam, sed ornatu & acumine æstimamus. Quod concinnum est, etiam si breue sit, tamen laudem industriæ habet: quod uero inconditum & mendosum quantumuis prolixum sit, cadit in uituperationem. Est autem in omnibus argumentorum habenda ratio, ut ea seligamus, quæ subtilitatem, acumen, ornatumq; capiant. qua in re illud uidendum est, ne quod proponimus nobis sit ignotum. quod enim ignoramus, neq; elegantia conuenienti neq; ingenio subtili potest esse locus. Notum igitur sit quod tractare uolumus, & capax omnium quæ studemus affingere.

De concordia & modestia, & diligentia professorum.

IN *his rebus & in cæteris omnibus studijs, discipulorum industriam alere debet magistrorum dili=*

 gentia

gentia. Et quanq̃ diligentia inprimis in doctoribus spectanda est, tamen concordia atq; modestia maxime præceptores decet. Offensiones enim turbulentæ & spiritus effrenati, ab auaricia plerunq; & ambitione oriuntur: quorum alterum impium, alterum illiberale, utrumq; semper indignum magnis ingenijs fuit. Sæpe turbare studia solet inuidia, & nulla re magis religio quàm ambitione uiciatur: & in quocunq; illa duo sunt, nullus ibi locus est charitati, Vt autem ipsarum artiũ atq; doctrinarum, quarum professio in ludo suscipitur, sempiterna consensio, & firmissimum uinculum est: ita etiam necessitudine coniungi harum doctores decet, ut similia sint in tali quasi collegio studia, eadem consilia & consentientes uoluntates. Qui inuidia torquentur, & iactantur ambitione, in illis nihil fidum, nihil perfectum, nihil quod cuiusquam uirtutem possit oblectare, Et si quibus unq̃ temporibus religio magna exempla desiderauit, nostra maxime desiderant, in tanta potentia & copia aduersariorum. Ferendæ igitur in illis locis offensiones non sunt: ubi seuerior instituitur disciplina, quæ ad omnes homines pulcherrimas quasi demanantes commoditates habet. Plerunq; enim ut regum uoluntatem & cultũ, cæterorum nobilium habitus, sic discipulorum studia, magistrorum rationes, etiam ineptissimas imitantur:

tantur: Itaq; non doctrinã ad posteros uiciosi trans mittunt, sed uiciorum stirpem radices agere sinunt, atq; in sempiternum, quantum in ipsis est propagant. Consensus igitur sit studiorum & laborum, & communicatæ uoluntates, & distributæ operæ. Illud etiam elaborandum est, ut non solum ea teneamus, que nos docere oportet: uerum etiam cætera cognoscamus quo ad possumus, quæ à reliquis, uel qui infra, uel qui supra nos sunt, traduntur. Nam & quæ ante didicerunt pueri, ea in superioribus locis sunt etiam retinenda. & quæ in manibus sunt, insequentibus sunt accommodanda. Præsentia doceri, præterita renouari, & futura prædici debent, hæc enim plurimum ad excitandum, custodiendum, erudiendũ ualent. Versatur autẽ omne docentis officiũ in docendo, corrigẽdo, cohortãdo, dehortando, quæ omnia dissensione perturbantur. Sed sunt quædam necessaria concertationum genera, ut puericiæ, & ueritatis. Errores enim ex hominibus tollendi sunt, & contra inscientiã doctrina, et contra uiciũ uirtus est defendenda. Sed abesse debet ab omni inquisitiõe ueritatis animi pturbatio. Itaq; recte à philosophis Socrates laudatus est, cuius suauißimus sermo ita cũ Sophistis instituitur, ut ueritatis studiũ susceptũ esse uideatur: et maximus lepos, atq; humanitas apparebat cũ docet, cũ emendat, cũ cõtra sentit, cũ ridet: sine

Docentis officium.

contumelia, sine ira, sine scurrilitate, ut uicia uitasse, homines uero non odisse uideatur. In pueris etiam & adolescentulis honestæ contentiones excitantur, alitur enim his illorum industria, & frenari moderariq; possunt à præceptoribus tum cum præter modum exardescunt. Non uituperandum est, si uinci turpe, & doctrina excellere gloriosum esse existiment. Turpe enim est nunquam excitari & semper ignauiæ inertiæq; condemnari. Deinde non maneant in puerili ætate affectus, imò summæ amiciciæ ex talibus contentionibus efflorescunt. Vt enim causarum aduersarij, maximiq; patroni, cum orant grauiter contendunt & uociferantur, ubi uero peroratum et iudicatum est, reconciliantur: sic etiam post puerilia hæc dißidia, quæ literarum doctores moderantur, summa plærunq; inter grandiores existit charitas & beneuolentia. Sed magistrorum studia magis quam concertationes exerceri decet, & si quæ contentiones esse debebunt, quod fateor: sint illa comitatis, humanitatis, charitatis, non asperitatis, non crudelitatis, non odij: & talis in literarum gymnasio conuictus, qualem poëtæ in Helicone & Parnasio musarum esse fingunt, summa cum concordia, ut uocum, numerorum, instrumentorum, sic uitæ, studiorum, atq; uoluntatum. Percurri breuiter, quæ de puerili educatione, & de aperiendis literarum ludis in

dis in præsenti præcipi poterant: & uiam quandam si non patefeci, at commonstraui saltem iter, in quod si intremus, facilius ea quæ maxima sunt, consequamur.

FINIS.

ARGENTORATI APVD VVendelinum Ribelium. Mense Martio Anno. M D XXXIX.

Ex concilio Gabalionensi. capite tertio.

De scholis Canonicorum instruendis.

Oportet etiã ut sicut Dñs Imperator Karolus *uir singularis mãsuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, præcepit scholas constituant, in quibus & literalis solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discant, & tales ibi erudiant, quibus merito dicatur à* Deo. *Vos estis sal terræ, & qui condimentum plebibus esse ualeant, & quorum doctrina non solum diuersis hæresibus, uerum etiam* Antichristi *monitis, & ipsi* Antichristo *resistãt, ut merito de illis in laude* Ecclesiæ *dicatur. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortiũ.*

Ex concilio Toletano. xvi.

De conuersatione Clericorum in uno conclaui.

PRona *est omnis ætas ab adolescentia in malũ. Nihil enim incertius quàm uita adolescentium. Ob hoc constituendũ oportuit, ut si qui in* Clero *pueri, aut adolescentes existunt, omnes in uno* Cõclaui *atrij cõmorentur, ut lubricæ ætatis annos nõ in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant: deputati*

putati probatißimo seniori: quem & magistrum doctrinæ, & testem uitæ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existant sacerdotali tutela foueant, ut & uita eorum à criminibus intacta sit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis resultauerint monasterijs deputentur, ut uagantes animi & superbi, seueriori regula distringantur.

D. Nicolaus Gerbelius ad lectorem.

Quis Cereris dotes, quis dulcia munera Bacchi,
Quisue Olei nosset gratia quanta foret?
Alma Ceres fruges, blandus ni uina Lyæus,
Monstrasset, latices docta Minerua suos.
Sic foret & ratio studiorum immersa tenebris,
Sturmius hanc medica ni reparasset ope.

Ioan. Sapidus Selestadien. ad lectorem.

Si te tangit amor conatus lector honesti,
Et cupis humanas res sapienter agi:
Non potes Argentorati non totus amare,
Digna & conscriptos tollere laude patres,
Quod satagunt summo docilem molimine pubem
Formari rectis instituiq; modis.
Tu studijs gratare bonis, uotoq; fideli
Opta principio numina dextra pio.

DE INGENVIS SCHOLASTICORVM moribus

SIMONIS VERREPAEI LIBELLVS.

Primæ puerorum institutioni non vtilis tantum, sed etiam valde necessarius.



ANTVERPIÆ
Apud Ioannem Bellerum
ad insigne Aquilæ aureæ.
1582.

Ornatiſs. Humaniſsimóq; viro M. PAVLO HVBENIO ad D. Dionyſij apud Leodienſes Canonico & Scholaſtico, Simon Verrepæus. S. P. D.



N puerilibus litterarum ludis aperiẽdis, id plurimũ conferre, tum ad mores rectè formandos, tum ad pietatis & litterarum ſtudium quo id deceat modo probè inſtituendum, multa nos docuit, (quæ rerum magiſtra eſſe dicitur) experientia, ſi Scholaſticæ Iuuẽtuti, quæ ad otia & omnẽ vitæ licentiam, multò pronior eſt, quã ad vllos labores, & honeſtatis ſtudia, certæ quædam præſcribantur rectè viuẽdi ſtudẽdíque leges, quibus tamquam præſenti fideliq; pædagogia quadam inſolentes peruicaces & præfracti à malefactis coerceãtur: probi verò morigeriq; in melioris vitæ diſcipiina earum monitu contineantur; Hoc certè cum dudum animaduerterem, & huiuſmodi leges apud varios conquiſitas, non nullas tandem inueniſſem, nec in

 omnibus

omnibus tamen optatis illæ nostris responderent, desumptis hinc inde nonnullis, adieci his ipse, quæ deesse desiderariq; videbantur, congessique Libellum hunc breuem & pusillum; sed tamen qui longè maxima vtilitate, breuitatem facile compensauerit, Immo quem omnino breuem esse conuenit, vt a paruulis possit & sæpius euolui, & fideli memoria facilius contineri; qui si ijsdem proponatur, eiusque præscriptæ leges à primis studiorum annis accuratè quotidie inculcētur, quantum hinc ijdem commoditatis compendijque ad maiores litterarum virtutumque progressus statim faciendos, accepturi sint, cum id verbis consequi non facile sanè queam, nolim ea in re calamum nostrum fatigare, sed quicumque eius ad pauculos menses periculum fecerit, nullā is huius probationem à me requisierit.

Hic igitur cum a nonnullis ad editionem iam euocaretur, ne temello & paruulo deesset Patronus, nō immeritò eum tibi ornatissime D. Scholastice, quantumuis exiguum offerendum

rendum esse existimaui, quod scilicet decere id crederem, vt quod in puerilium Scholarum vsum foret elucubratum, id illi offerretur, cui per probos, diligentes, & eruditos Institutores, scholas rectè aperiendi cura & officium commissum esset: Accedit huc, quod ea sit tua, tuorúmque propinquorum in me beneuolentia & humanitas, mihi iam inde perspecta, cum primum ex Brabantia in Leodiensem hanc terram profugiens, à Theodoro Cryæro affine tuo, singularis in me humanitatis viro, tum paulò post abs te quoque Leodij exceptus sic essem, vt vobis iam non alienus, sed aut frater, aut sanguine coniunctissimus videri potuerim; Quo certè nomine, à me vobis vicissim omnia humanitatis & gratitudinis officia deberi libentissimè agnosco.

Sed quid ego hæc cōmemorem? cum in isto horrēdo Belgij incendio, Bredæ Lossensiū in ædibus tuis, apud hunc tuum adhuc agam affinē, et in ipsius, aut verius tua, hæc cudantur officina, an alium me deceat quærere huius

 scripti-

ſcripti patronum, quam eum, cui & ex officio Scholaſtico, & hoſpitij iure, hoc quidquid eſt operis debeatur? Si gratitudinis id lege prohibetur, nolim alias afferre, cur id faciam, rationes, ſed te potius rogatum velim magnifice D. Scholaſtice, vt quod in Scholarũ vſum tuis ex ædibus ad te mittitur, in gratam tuorum in me beneficiorum memoriam libenter benignéque ſuſcipias, & in eo non tã muneris quantitatem, quàm animum expendas offerentis; Vale felix & fauſtus humaniſſime & integerrime Domine; Tuis ex ædibus & ſolo natali Breda Comitatus Loſſenſis, & Eburonum ciuitate non ignobili, Anno virginei partus. CIↃ IↃ LXXXII. IIII. *Kalendas Maias.*

De

De Scholasticarum legum vtilitate ad Lectorem præfatio.

QVod in Politicis scribit, amice lector, Peripateticæ scholæ princeps Aristoteles, *non facile permanere ciuitatem, quæ non sit legibus & consuetudinibus constituta*, Idem de litterarijs istis puerorum ludis verè licuerit affirmare, cum enim rudis puerorum ætas, sit ad vitia, quàm ad virtutes multò propensior, otiumq; labori, & lusum studijs non pauci eorum sic anteponant, vt nisi continua Præceptoris præsentia & monitione crebra ad studiorum labores capessendos vix vnquam queant excitari.

At cum Præceptores, quantumvis id magnopere fortasse cupiant, domi forisq; in numeroso præsertim grege, non semper præsto suis esse queant, ineunda fuit ratio aliqua, qua Præceptores absentes hoc officium vtcunque pensare queant, qua nulla à me potuit accommodatior inueniri, quàm si Præceptoris loco adhibeantur discipulis certæ & præscriptæ viuendi studendique leges, quorum monitu rigore ac metu, quasi seuera quadam pædagogia in studijs & officijs contineantur: Insolentes, peruicaces, & præfracti à malefactis arceantur, probi verò & morigeri

 in bo-

in bona & laudabili Disciplina adminiculo legum viuere perseuerent, & alacrius ad honesta contendant.

Hanc verò sanctarum legum pædagogiam tenellæ adhuc ætati esse necessariam, Cœnobitarum & Canonicorũ constitutiones, Regũ prætere & Principũ decreta facilè cuiuis cõprobarint, quæ, quo accuratius obseruãtur, hoc magis viget in ipsis pietas, viget vera & orthodoxa Religio, viget honesti studiũ & õnis politica disciplina.

Quid igitur non idem efficiat, vtilium legum constitutio, inter paruulos & rudes etiamnum politiorum litterarum tirunculos, qui, quid æquum, aut iniquũ, quid honestum sit aut inhonestum, quid eos facere, quid vel omittere oporteat, nisi id Lege, vel alio monenté, per ætatem intelligere, omnino nequeunt? His igitur præscripta Lex, doctoris & pædagogi loco fuerit, reuocans eos à vitijs, & ad virtutes impellens.

Quod certè efficacius præstabit, si quæ sui sunt muneris, exequantur sedulò Præceptores, vt nimirum Leges huiusmodi planè & apertè discipulis suis exponant, quidq; singularum legum obseruatio, ad litterarũ vel pietatis studium conferat, ex ijs locis quos in Scholijs in hunc vsum adiectis, indicauimus, discipulis commõstrarint, &quo-

& quotidie, vel altero quoque die vnius tabulæ Leges toti gregi prælegantur, vt hac crebra repetitione altius eorum mentibus inſerantur.

Illud tamen aduertendum hoc loco, non eſſe has omnes ſcholis omnibus conuenientes, ſed alijs alias plures aut pauciores eſſe præſcribẽdas, pro loco, tempore, numero, ætate, moribus, eruditione, alijſq; puerorum qualitatibus, ne fortaſſe vel ſuperuacaneæ præſcribantur, aut neceſſariæ omittantur.

Addam poſtremò, cuiuſque Legis præuaricatoribus pro delicti qualitate ſtatuendam eſſe certam aliquam à Præceptoribus multã, quæ Sabbathi quoque die ab ijſdem deleatur.

Nos qui compluſculos annos Scholaſticũ hoc ſaxum voluimus, re ipſa comperimus huiuſmodi Legum obſeruationem, ad probatam puerorum inſtitutionem tantum afferre adiumenti, adeoque eſſe neceſſariam, vt, quod initio dixi, repetere nõ verear, quod Ariſtoteles de Ciuitatibus dixit, *Scholas non facile permanere, quæ legibus non ſunt conſtitutæ.*

BARTOLOMEVS HONORIVS P. H. in Scholaſticatum Legúm commendationem.

Viderat è ludo pueros prodire ſolutis
Moribus, exculto pectore Diogenes.
Non illos baculo cædendos eſſe putauit,
Sed Præceptorem protinus aggrediens:
Infelix Doctor, quare ſic inſtruis, inquit,
Hæc tibi, non pueris, culpa luenda venit.
Dixit, & inſulſum nodoſo fuſte Magiſtrum
Percuſsit toto conſpiciente foro.
Si nunc ad vitam Sophus hic à morte rediret,
Quodq; Simon condis forte videret opus,
Diceret, hic nobis vigilando reſtituit rem:
Legibus his vti, lauticijſq; iuuat.

Helmontij Kalend. Auguſti.

AD

H

AD IVVENTVTEM
Latinæ linguæ candidatam.
S. V.

HVc huc ô Latiæ linguæ studiosa Iuuentus
Huc huc adesdum, te volo.
Ecce tibi offertur, donum ingens, iste libellus,
Non mole magnitudinis,
Ast argumenti magna ipsius vtilitate,
Vere æstimandus plurimi:
Quippe docet studijs puros adiungere mores,
Bene dicere, & bene viuere.
Quæ nisi iungantur, Musas vt moribus ornes,
Ornesq; mores litteris,
Nil agis in studijs, labor est sed inutilis omnis,
Et vanitate vanior.
Immo quid hoc celem? cur rem non eloquar omnem
Quæ veritate verior?
Si Musæ ingenuis iungantur moribus, ipsam
Parant perennem gloriam.

LEGES DVODECIM TABVLARVM.

Leges	Pietatis.	Tabula	1.
	Templi.	Tab.	2.
	Chori.	Tab.	3.
	Scholæ	Tab.	4.
	Domus	Tab.	5.
	Cubiculi	Tab.	6.
	Plateæ	Tab.	7.
	Luſus	Tab.	8.
	Erga præceptores	Tab.	9.
	In hominum congreſſu	Tab	10.
	In habitu corporis	Tab.	11.
	In menſa & conuiuiis	Tab.	12.

DE

DE INGENVIS SCHOLASTICORVM MORIBVS Libellus.

XII moralium Legum tabulis breuiter, & perspicuè explicatus.

TABVLA I.
Leges spectantes ad Pietatem
De Deo, & Sanctis.



EVM in primis studiosè & piè colito.
Ipsum præ omnibus diligito semper, & timeto.
Litterarum studia sine Religione vana existimato.
Omnia bona à sola Dei benignitate prouenire credito.
Ad pulsũ igitur cãpanæ matutinũ, meridianũ & vespertinũ flexis humi genibus ipsi pro beneficijs gratias agito.

Erga { *Sanctam virginem Deiparam Mariam,* / *Angelos, omnésque Sanctos, & eorum reliquias,* / *Sanctam Matrem Ecclesiam, eiúsque ministros* } *singularem deuotionis affectum semper habeto.*

De sanctorum vita, & actis libenter, crebrò, animóque attento, vel legito quidpiam, vel audito,
De ijsdem sic sentito ac loquitor, tamquã diuinitati proximis & coniunctis.

De festis diebus celebrandis

Dominicis ac festis diebus ethnicorum libros seponito.
Eósque his potius exercitijs transigendos memento.
Primum cur dies illi sint instituti tecum perpendito.
Pijs ante omnia tum vacato precibus.
Vitæq; & passionis Christi meditationi.
Legendis quoq; pijs Sanctorum Historijs.
Aut alijs sanctorum Patrum elucubrationibus.
Verbum Dei diligenter tum legito, tum audito.
In primis verò sacrificio Missæ, quo decet modo, tū interesto.
Sermo tum sit potissimum de rebus pijs, vtilibus & honestis.
Ita loquitor, vt de verbis otiosis apud Deum facilè reddas rationem.

De confessione & Eucharistiæ, sumptione.

Peccata tua celebrioribus festis D. Saluatoris
Et festis omnibus beatæ Virginis Deiparæ,
Aut singulis potius totius anni mensibus, post factam diligentem conscientiæ discussionem Sacerdoti confitetor.
Qui ætatis fuerint maturioris, ijsdē diebus, si modo probetur id Confessario, sacrā Eucharistiā piè & dignè sumito.
Ditiores tenuioris fortunæ studiosos, elemosynis, si queant, adiuuanto.

De cauendis obtrectationibus, mendacijs &c.

Nulli hominum obtrectato, nec inimico quidem.
Neminem vnquam probroso nomine appellato.
Sanna vel corporis gestu nullum irrideto.
Nec alteri cuiquam naturale vitium exprobrato.
Contentiones, contumelias, & pugnas, omnémq; insolentiam quouis loco & tempore fugito.
Nulli prorsus verbo aut facto quamcūq; iniuriam inferto.

Discor-

Discordiarũ auctores, quiq; vim alicui intẽtarint, pro noxa pœnam luunto, aut è cœtu scholastico eijciuntor.

Ab omni mendacio semper abstinere memento.

Nullus alteri, Tu mentiris vel fingis, vnquam dicito.

Iusiurandum, seu verum, seu falsum dicendo, ne vsurpato.

Nullus alterum, num quid ausit iurare, interrogato.

Testimonium aduersus delinquentem nemini negato.

De omni cauenda obscenitate.

Turpiloquium & fornicationem ne vllã quidem nominato.

Nec aures tuas vnquam obscenè dictis prębeto.

Vernacula aut obscena carmina, nec canito, nec legito.

A libris quoque spurcis, tum Hæreticorum, aut suspecti nominis auctorum,

Ab inutilibus adhæc, aut lingua vernacula conscriptis semper abstineto.

Nec domi, nec foris, picturam habeto parum honestam, vel decoram.

Nec fortè vsqua oblatã intentis in eam oculis cõtemplator.

Prævaricatores Legum huius primæ Tabulæ quilibet admonere memor esto.

Qui ne tum quidem sese emendarint, aut pœnam luunto, aut scholis ipsis excluduntor.

TABVLA II.

Leges ad Templum pertinentes.

De accessu ad Templum.

Accessurus ad Templum ad manum habeto. { *Libellum piarum precum* / *vel* / *Sphærulas certè precatorias.* }

Cœmi-

Cœmiterium transiens orato hoc modo cum Ecclesia: Animæ fidelium defunctorum per piam Misericordiam Dei requiescant in pace.

Templum ingrediens orationem sequentem legere memento: Aufer à me quæso misericordissime Deus, &c.

Templo conueniunt
- *Quies & silentium.*
- *Peccatorum coram Deo confessio.*
- *Missarum deuota auditio.*
- *Oratio cum attentione animi.*
- *Pia lectio & meditatio.*

De Quiete & Silentio.

A fabulis, risu, lusu, somno, discursu, omnique lasciuia in Templo quilibet abstineto.

Vanas & inutiles cogitationes, illinc abs te propellito.

Strepitus, clamores, aut inciuiles ibi gestus edere, nefas esto.

Incidere sedilia, & parietes depingere nullus audeto.

Quilibet se frustra adijsse Templum existimet, qui non inde domum melior puriórque redierit.

De peccatorum Confessione.

Ingressus Templũ sacri gratia in loco precibus accommodato te humi prosternito.

Oraturus Deum nullus muro, sedi, vel scamno (nisi infirmitas aliqua id impediat) innititor.

Peccata, quibus Deũ offenderis, in memoriã tuã reuocato,

Generali coram Deo Confessione cum animi contritione agnoscito.

Peccatorum omnium Remissionem supplex his verbis à Deo petito, Deus propitius esto mihi peccatori. Deinde, Misereatur nostri omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis nostris perducat nos ad vitam æternam, Amen.

De

De Miſſa, & piis ſub eadem precibus & meditationibus.

Sacerdoti rem ſacram peracturo, ſi fortè miniſtro deſtituatur, reuerenter, ſedulò & officiosè miniſtrato in ſumma quiete & ſilentio.

Quilibet ſub Miſſæ ſacrificio Orationi, Lectioni vel piæ Meditationi attentè, & reuerenter vacato.

Deum quiſque quotidie rogato, vt ſe dirigat ad eum vitæ ſtatum, qui & ipſi Deo gratiſſimus ſit, & ſaluti ſuæ maximè ſalutaris.

Precationes Liturgicæ:
- *Preces Scholaſticæ ſecundi, aut tertij capitis.*
- *De æterna Dei Sapientia*
- *De Sancta Cruce*
- *Septem Pſalmi cum Litanijs*
- *Horæ de beata Virgine*
- *Officium defunctorum*
- *Aut preces que Roſaria vel Coronæ dicuntur.*

Paſſionem & Mortem D. Seruatoris in memoriam tum maximè reuocato.

De quibuſdam ſub Miſſa Cæremonijs.

Ad Euangelij Lectionem aſſurgito, & religiosè complicatis manibus, ſi propius adſiſtas, auſcultato.

Ad nomen IESV reuerenter genu flectito.

Cū legitur in Symbolo, & homo factus eſt, *in genua procumbito, ſubmittens te in illius honorem qui cum Deus eſſet, vt nos quoque Deos faceret, dignatus eſt homo fieri.*

Ad Eleuationem Corporis Domini, vtroque demiſſo genu humi ſedeto.

Ad altare ſit verſa facies, & ad Chriſtum, quem intueris animus.

Chriſtum Deum & hominem ibi verè præſentem cum

Ecclesia Catholica supplex adorato.

De sacris Concionibus.

Concionibus sacris suo loco & tempore, cum magna reuerentia arrectis auribus interesto.

Concionantis memoriam fabulis aut strepitu nemo disturbato.

Sine Præceptoris consensu nullus se è templo subducito.

Reuersus quisque in Scholā magistro reposcenti totius Concionis summam, vel aliquot sententias, aut certè alicuius loci explicationem referre satagito.

Transeunti Templum quid agendum.

Templum vel obiter transiens, Christum illic verè præsentem, precatiuncula breui flexis poplitibus salutato.

Si quo in loco Missa fiat, vel S. Eucharistiæ aut baptismi Sacramentum administretur, aduersa facie flexoque genu honorem exhibeto.

In cæmiterys, aut locis quibuscunque consecratis, nec ludito, nec ad aliquod naturæ opus illuc concedito.

Quid agendum sit Templum prætereunti.

Prætereiens vel fores Templi, vel locum in quo venerabile corpus Domini adseruatur, eo tum conuerso vultu, nudato capite, ac flexis genibus, precatione breui Christum salutato.

Effigiem Christi Seruatoris, sanctæ Crucis, aut beatæ Virginis, seu in vijs, seu in alijs quibuscunque locis prateriens retecto capite honorato, memor semper illius tum distichi in Concilio Nicæno euulgati.

Hanc videas, *sed mente colas quod cernis in ipsa:*
Nam Deus est, *quod imago docet, sed non Deus ipsa.*

TABV-

TABVLA III.

Leges Chorum frequentantium.

De Ingressu & Egressu.

IN Chorum, vel è Choro præcipitanter ne proruito; sed sine fabulis & mutuis compressionibus, religiosè ac lentè cum adiuncto socio progreditor.

Chorum vel Templum auditurus Sacrum, Matutinas aut Vesperas absque libello Precum, vel Sphærulis precatorijs, nullus, vt diximus, ingreditor.

In Choro quid obseruandum.

In choro decenter & compositè versator, & pios vbique ritus vsurpato.

In vtroque chori latere Corycæi seu Delatores, venientes serò & insolentes obseruent ac notent.

Dum itur ad Missam, vel sacram Concionem, & in supplicationibus Ecclesiasticis, ijdem illi, clamantes, garrientes, aut extra ordinem aberrantes notent ac prodant.

De Ecclesiastico Cantu.

Sabbatho, & pridie dierum festorum Responsorijs Antiphonis, & Versiculis, & id genus alijs cantandis, ne quid erres studiosè caueto.

Ecclesiasticis Cantionibus designatus libellũ habeto ea continentem, quæ in Templo canenda sunt.

De Ecclesiasticis supplicationibus.

In supplicationibus omnes bini, ordine, & verecundè absque fabulis, risu, & strepitu capite nudato inceduntο.

Quique non canunt, vel continuis ibi precibus vacanto, aut quidpiam salutaris doctrinæ legunto aut meditantor.

TABVLA IIII.

Leges Scholasticæ.

De Ingressu.

SCholã tempestiuè & modestè absque indecora cursitatione, mutuáque compreßione introito, & exito.

Qui post horam venerit constitutam, modo & ratione bona pœnam luito, nisi fortè probabilem, à parentibus aut heris excusationem attulerit.

Ingressus Scholam euestigio se quisque suæ adiungito tribui, extra quam nullus vnquam sedeto.

Quid agendum ante Præceptoris ingressum.

Absente adhuc ante horam, aut euocato Præceptore, nihil turbarum, aut clamoris moueto.

Sed libro statim explicato Lectionem in Præceptoris aduentum diligenter præuideto.

Præfecti singularum tribuum ante horam in Schola inter primos semper assunto.

Et singulorum arma Scholastica, libros, chartam, atramentarium, cum theca pennaria, & tribus in ea pennis inspiciunto.

Ediscenda, declinanda, comparanda, coniuganda, aliaue claßis cuiusque exercitia præscribunto & exigunto.

De Corycæi seu Delatoris officio.

Corycæi absentes & serò venientes omnes diligenter obseruanto.

In Catalogo recitando neminem prorsus prætereunto.

Ad nullius nequitiam, turpitudinem, insolentiam aut desidiam conniuento.

Contra verò innoxium, aut ex odio neminem notanto.

Mune-

Muneribus denique ne corrumpantur; aut terreantur cuiusquam minis cauento.

Nihil postremò quod ad suum spectat officium prætermit-(tunto.

Quidquid per totam septimanam à quoquam peccatum est, hora quarta diei Sabbathi tradatur in schedula descriptum Præceptori.

Hic verò pro delictorum ratione, nunc admonendo, aut obiurgando: nunc ferula aut virga singulorum multas deleto; rarius notatos meritis laudibus euehito.

Corycæus quoque qui in animaduertendo, & accusando officium suum neglexerit, à magistro castigator.

De absentibus & ingredientibus serò.

Nunquam nisi vrgentibus negocijs valde necessarijs à Schola quisquam abesto.

Absuturus à Schola facultatem petat à Scholarcha.

Ad hunc si fortasse non detur accessus, post ad ludum reuersus adducat fide dignum, per quem queat excusari.

Aut certè ratum remißionis chirographum Præceptori aut Scholarchæ exhibeto.

Serò in Scholam venientes, absente forte Gymnasiarcha, nisi probe se excusarint, ferula cæduntor à Præceptore.

De Humanitatis officio exhibendo.

Discipuli Præceptorem venientem reuerenter excipiunto.

Abeuntem quoque honore eundem prosequuntor.

Præsente Magistro vniuersa iuuentus consilescat: eodem absente ne perstrepat.

Ingrediente forte Scholam viro quopiam honorato, altißimum tunc esto ab omnibus silentium.

De precibus & armis Scholasticis.

Matutinis & Vespertinis Scholæ precibus tẽpestiuè quilibet interesto.

Quisque cum Silentio, Attentione, & Reuerentia Preces cum ceteris legito.

Ferulas aut virgas tamquam res sacras ne digito quidem attingendas memento.

Cultrum omnino nullum gestato, sed pennas quisque suas priusquam in Scholam prodeat aptato domi.

Parietes carbone vel creta ne depingito.

Nomen quisque suum librorum capitibus inscribito.

De omni cauenda insolentia.

Nemini vmquam pede, cubitóue, aut vlla re alia negotium facessito.

Qui alium pulsauerit siue iure siue iniuria, is graui pœnæ obnoxius esto.

Susurrationibus aut colloquijs Præceptorem docentem ne perturbes caueto.

Sibilum, clamorem, cachinnum, simulatam tussim, sonoram eructationem vsurpare ne assuescito.

De Lectionibus.

Præceptorem lectionem enarrantem attentissimè auscultato.

A Præceptore dictata studiosè & emendatè excipito.

Quæ forte per absentiam omissa sunt, intra proximum biduum instauranda curato.

Sub prælectionibus nec cubitum libro, nec caput manu sustentato.

Nec ad omnem strepitum, vocem, sibilum, circunspicito.

In recitanda lectione singula clarè, distinctè, seruatisq; punctis pronunciato.

Ter nullus lectionem suam recitans impunè errato.

Lectionis ignarus, librum, dum recitas, ne inspicito.

Reddenti memoriter lectionem, nihil vnquam suggerito.

De

De exercitatione ſtyli.

Epiſtolas, Carmina, & quæcunque ad ſtyli exercitium inſtituta ſunt, ſuo tempore exhibeto.

In iiſdem componendis multum operæ, induſtriæq́ ponito.

Eademq́ frequenter examinato & relegito.

Et poſtremò ſcitè & eleganter eadem pingito.

De Diſputatione.

In Diſputationibus feruor adſit & modeſtia,

Abſit vero clamor, contentio, ira & immodeſtia.

Veritati quiſque humiliter & amicè cedat, omnemque litem Præceptoris iudicium dirimat.

Diſputando in ſua tribu victi, præter notam, primam in certamine proximo quæſtionem proponunto.

Loquendum Latinè.

Latinè cum iis qui intelligunt, & in Schola, & extra Scholam, etiam in luſu omnes loquuntor.

In Grammaticorum Regulas, ne quid inter loquendum peccetur, ſedulò cauento.

Nihil eorum quæ geruntur in Scholis, eliminandum.

Nihil eorum, quæ in Schola, vel intra parietes domeſticos facta aut dicta ſunt, foras efferunto.

TABVLA. V.

Leges Domeſticæ.

De Contubernijs.

O*Mnes tam Aduenæ quam Indigenæ eandem domũ incolentes, in certa contubernia redigantur, quorum quodlibet octo vel decem contubernales comprehendat.*

Si qui soli aut segregatim habitent, contubernio proximo se adiunguntο.

Inter contubernales nullus alteri molestus esto, insolens nullus, aut petulans;

Nullus factiosus, aut in alios maledicus, sed omnes modesti, ac pacifici.

De Contuberniorum præfectis, seu Decurionibus.

Singulis Contuberniјs præfectus seu præses constituatur, qui cæteros cum litteris, tum moribus antecellat.

Aut si ita videbitur Gymnasiarchæ, officium hoc per hebdomades ordine quasi in orbem eat.

Præfectus iste sit immunis à locario, quod vocant, & operibus domesticis.

Præfecto Contubernales omnes non minus pareant quàm Magistro suo, vel Scholarchæ.

Hic singulis hebdomadibus Gymnasiarchæ vel Præceptori omnium domi actorum rationem reddat.

Hic nec vllũ iniustè notet, nec peccantẽ accusare dißimulet.

Penes Præfectum hunc partes sunto alios mane à somno excitandi.

Adhæc in viјs, plateis, & area, in templo, cenaculo & cubiculo peccantes in aliquam domesticarum legum notandi,

Eosque in charta descriptos vesperi diei Sabbathi Magistro tradendi.

De peccantium multis.

Multa domesticarũ legum minima sit vnius nummuli.

Maxima verò trium.

Quæ maiore digna sunt animaduersione, pro delicti, tum qualitate, tum quantitate, à Præceptore vel Gymnasiarcha puniuntor.

Multæ verò soluantur omnes in diem Sabbathi.

Pecuniola,

Pecuniola hinc collecta emuntor libri, vel alia, quibus donentur illi, qui ceteros notarum raritate superarunt.

De officio erga Parentes, aut Heros.

Parentibus & hospitibus suis quilibet mane fælicem diem, vesperi faustam noctem, interdiu, è ludo reuersus, salutem precator.

Si quid illis præstandũ sit obsequij, facilis ac lubens id obito.

Qui extra Collegium, aut ædes Præceptoris parentibus conuiuunt, cum ijsdem humaniter agunto, ijsdemque honorem & obedientiam exhibento.

Domũ absque Parẽtũ vel Heri sui permissu nullus egreditor.

Nullus absque eorundem vel Gymnasiarchæ consensu foris pernoctato.

Nihil damni inferendum, &c.

Suppellectili aut domui detrimentum vel minimũ inferre (caueto.

Rem quamcunque alterius nec clam auferto, nec abscondito, nec loco suo dimoueto.

Rem verò alienã casu inuentam, cũ primũ poßis, restituito.

Nihil dando, emendo, vendendo aut permutando citra Rectoris, aut Parentum consensum, alienato.

De Pecunijs, Compotationibus, Armis, &c.

Pecuniam in vsus necessarios à Parentibus datam, pomis, nucibus, libis, aut similibus cupedijs ne insumito.

Compotationibus nec domi, nec foris interesto.

Ebrietatem, vt adolescentiæ indecoram, ita tum corpori, tum animæ valde noxiam, semper fugito.

Armis nullum prorsus vulnerato, aut petito.

Nec præter escarium cultrũ, armorũ quidquã domi habeto.

Non sicas aut pugiones, non gladios, malleos, aut globos ferreos.

Si quis armorum aliquid habuerit, id apud Præceptorem

 vel ho-

vel hoſpitem ſuum ſeruandum deponito.

In area ne vnquam ludito, aut diuagator, aut in latebris fabulas miſceto.

De Societate deligenda.

Illud ad parandam Virtutem & Eruditionem plurimùm conferre credito, vt Diſcipulos doctiores & modeſtiores humanitate & obſequio tibi deuincias.

Adhæc vt cum Studioſis & Eruditis aſsiduam habeas conſuetudinem; Prauorũ conſortium, vt peſtem, deuites,

Et ſi ceteris ſis præferendus, præferto te tamen nemini.

De Caritate erga Proximum quemq́ue.

Nulli hominum verbo factóue inferto iniuriam vel contumeliam.

Hunc Caritatis affectum erga proximum non minuat Natio, Ciuitas, aut Cognatio.

Non poſſeſsio, conditio, aut ingenium; cũ vnus ſit Pater omnium Deus, quem edocti à Chriſto quotidie Patrem appellamus, qui nullum agnoſcit filium, qui ipſius filios non agnouerit fratres.

TABVLA. VI.

Leges Cubiculi.

Tria in Cubiculis ſunt
- *Agenda*
  - *Orandum,*
  - *Dormiendum,*
  - *Studendum.*
- *Seruanda*
  - *Verecundia.*
  - *Quies.*
  - *Silentium.*

De Oratione & Somno,
ſeu modo veſperi incumbendi.

Priuſ-

Priusquam vesperi cubitum eas, legito, vel audito quidpiam, quod memoriæ mandetur, dignum.

Flexis deinde ante lectum genibus, quæcunque die illo audieris, videris, aut egeris, in memoriam reuocato.

Si quid honestè, prudenter, cum decore & laude dixeris vel egeris, Dei id esse munus, ipsique proinde agendas esse gratias memento.

Si quid turpiter, ineptè, aut vituperatione dignum, id ex tua profectum esse malitia, fatetor, doleto, veniamque cum proposito te emendandi in posterum à Deo petito.

Preces Vespertinæ.

Has ordine deinde legito quisque Precationes,

Omnipotens sempiterne Deus, &c.

Pater noster, Aue Maria, Credo in Deum, &c.

Obsecro te Angelice spiritus, &c.

Lectum ingrediens signo Crucis munitus hanc addito breuem precatiunculam:

In nomine Domini nostri Iesu, &c.

Nec pronus cubueris, nec supinus, sed primùm innitens dextro lateri, brachijsq; ita transuersim complicatis, vt pectus muniat figura Crucis.

Signo Crucis, & pia Numinis inuocatione, sanctisq; cogitationibus, omnem Diaboli ditionem propellito.

Ingressus lectum nullus verbum proferto, sed in silentio orationem sequentem dicito:

Suscipe me tuendum Iesu Christe.

De obseruatione Verecundiæ.

In vestiendo, exuendoq;, Verecūdiæ, quisq; rationem habeto. vt scilicet nullus vnquam aliorum nudet oculis, quod mos & natura tectum esse voluerunt.

Deum

Deum & Angelum tui cuſtodem, tibi vbique præſentes, ſemper reueretor.
Singuli ſoli, & in ſubucula ſeu induſio lineo dormiunto.
Somnus ſumēdus tamquā medicina quadā curādo corpori.
Immodicus reddit corpora ſegnia, pigra, noxijsq; humoribus redundantia.
Septem, *igitur*, horis dormiſſe ſat eſt iuueniq; ſeniq;.

Modus mane ſurgendi.

Mane quilibet hora præſcripta excitatus, intra vnius Miſerere ſpacium è lecto ſurgito.
Excitandi partes penes ipſum præfectū, vti diximus ſunto.
Mane ſurgens, veſperiq; lectum ingrediens, Frontem & Pectus ſigno Crucis munire aſſueſcito.
Interius idem pijs precibus & meditationibus communito.

Precationes Matutinæ.

Precationes, tum Matutinas, tum Veſpertinas memoriter quilibet teneto & recitato.
Precatiuncula mane ſe primum erigentis.
In nomine Domini noſtri Ieſu, &c.
Precationes iam induti legendæ flexis ante lectum genibus.
Tibi o ſancte Pater omnipotens, &c.
Pater noſter: Aue Maria: Credo in Deum, &c.
Ego ſum Dominus Deus tuus, &c.
Exaudi me Trinitas ſancta, &c.
Quilibet intra horæ quadrantem ſe induerit, orauerit, lectique ſtragula concinnârit. (prodito.
Poſt horæ quadrantem os & manus abluturus e cubiculo
Parentibus & hoſpitibus fauſtum quiſque diem precator.

De Munditia, Quiete & Silentio.

Quilibet rerum ſuarū munditiem, & concinnitatē curato.
Cubiculum

Cubiculum quisque suum verrito, sordes asportato, omniaq; in eo bellè disposita sunto.

Lectos mane stratos nullus conturbato.

In cubiculo nec turbam, nec petulantiam cieto.

Ad vicini cubiculum sine causa nemo accedito.

Conuenticula in cubiculis ab omnibus vitantor.

Loquacitate, cantu, vel strepitu nullum obturbato.

Cum nullo prorsus certamen, nisi de litteris, habeto.

Cubiculum nisi iusta de causa exire caueto.

De priuato in cubiculis studio.

Studiorum tuorum hunc statue scopum:

Vt scientiam consecutus ad Dei honorem, tuamq; & proximorum salutem eandem conuertas.

Cauendum in priuatis studijs, ne quis forte curiosus, ad res vetitas, inutiles, aut vanas cognoscendas incumbat.

Qui se ingenij acumine, & fideli memoria norint esse praeditos, curent vt erga Deum grati sint.

Qui ijsdem destituuntur, oratione, studio, & exercitio ea consequi laborent.

De vitando Otio.

Otium vt tum studiorum, tum vitæ melioris certissimam pestem, in cubiculis & lusu studiose semper euitato.

Tempore nihil esse preciosius semper in mente retineto.

Nulla dies abeat, in qua non legeris, audieris, vel scripseris aliquid, quod eruditionem, vel virtutem augeat.

Adsit tamen studijs moderatio, cum ea perseuerantia, quæ corporis non lædat valetudinem.

Nocturnas lucubrationes & intempestiua studia caueto.

Studijs Oratio præmittenda.

Nec studia, nec aliud quid exorditor, nisi inuocato prius celesti numine, vsus hac vel simili Precatione:

Actiones nostras quæsumus Domine.

Interim sic stude, quasi nihil sit ille auxilij laturus insigniter laboranti.

Lectiones in Schola auditas apud te, vel cum socio repetito.

Quæ ignorabis à doctioribus sciscitari nec pudeat nec pigeat.

Ad sonū campanæ in Scholam euocantis, vt communibus interſis Scholæ precibus, præsentem te illic sistito.

Egrediens domo signo Crucis se quisque consignans dicito: Precor vos omnes sancti Angeli, &c.

TABVLA VII.

Leges obseruandæ in Plateis.

Egressis Schola quæ prohibita.

DImissi è Schola confestim se omnes rectà domum recipiunto.

Incessus nec nimium sit lentus, nec nimium velox, nisi id causa periculi, vel necessitatis exigat.

Sit idem purus ac simplex, non affectatus.

Si quid in eo vitij natura dederit, industria tua corrigat.

Per forum, vicos aut angiportus nulli diuagantor.

Nec in plateis cum alijs nugando, ludendo, spectandóue moram vllam faciunto.

In opificum officinis, aut vsquam in sole apricantes ne assistunto, vel considento.

Puerorum aut puellarum ludis, choreis, colloquijs aut congressibus nullus se vnquam misceto.

Gladiatorum, saltatorum, aleatorum, aut ganeonū ædes, publica diuersoria, aut loca suspecta, ne ingreditor.

Laruis quoque discipulorum nullus vtitor.

Collucta-

Colluctationes, inciuiles aut indecoros gressus,
Item, cursus, clamores, cantiones, cachinnos,
Sonoram tußim, irritationes canum, aut morionum studiose omnes euitanto.
Fragmenta lapidum, nec in tectum, nec in domum, aut hortum cuiusquam iaciunto.
Neminem prorsus dicto, iniuria, vel contumelia afficiunto.
Damnum alteri forte datum resarcito, & restituito.

De exhibenda Reuerentia.

Parentes, Praeceptores, & Sacerdotes omni, & loco, & tempore reuerentor.
Sacerdotibus, Magistratui, & eiusdem vxoribus, viris item ac matronis ætate venerandis via ciuiliter cedunto.
Omnibus deniq; superioris alicuius dignitatis aperto capite alteróque flexo poplite, reuerentiam decēter exhibēto.

De Præfectorum officijs.

Qui eadem se via domum conferunt, à contubernij Præfecto obseruantor.
In legem aliquam delinquentes ad Præceptorem proximo in Scholam reditu deferuntor.
Aut Præfecti, delinquentium pœna, ipsimet multantor.

TABVLA VIII.

Leges spectantes ad lusum.

De licito exercitationum modo.

CORporis exercitationes non sint immodicæ, sed aptæ rationi valetudinis.
In ijs se quilibet moderatè, & ingenuè, loco & tempore deputatis, exerceto.

In lusu

In lusu & animi remissionibus semper adsit aliqua memoria virtutis.

In ijsdem & alias, cum suo quisque commilitone, Latinè semper loquitor.

Quæ in Lusu cauenda.

Absit in lusu, rixarum parens, omnis peruicacia,
Absit dolus omnis, & mendacium.
Absit denique nequitia & omnis insolentia.
Nullus in ludo pecuniam deponat,
Aut aliud quod pecunia potest æstimari.

De ludis illicitis.

- *Lusus prohibiti*
  - *Illiberales, vt lusus*
    - *Aleæ.*
    - *Chartæ.*
    - *Omnes fortunæ.*
  - *Coniuncti cum periculo.*
    - *Saltus.*
    - *Lucta*
    - *Iaculatio.*
    - *Dimicatio.*
    - *Pugna.*
    - *Huc spectant*
      - *AEstate natatio.*
      - *Hyeme per glaciem cursitatio*
      - *Niuis in alium protectio.*

Ludos omnes illiberales, vt Aleæ, Chartæ, omnesque fortunæ ludos,
Aut cum vllo coniunctos periculo, vt Saltum, Luctam, Iaculationem, & alios id genus fugito.
Aestate Aquas, hyeme Glaciem, & Niuem caueto.

De alijs oblectamentis illicitis.

Piscationes, Venationes, Aucupia ne exerceto.

Cunicu-

Cuniculos, Aues, vel alias bestiolas ne alito.
Nullius sepes, plantas, aut sementem corrumpito.
Nullius abigito pecora, aut fructus suffurator.
Nullus alterum in terram prosternito.
Nullus fortè lapsum, ne surgat detineto.
Nullus humi iaceto, aut diutius consideto.

TABVLA IX.

Leges erga Præceptores.

Quid suis quisque debeat Præceptoribus.

PRæceptores, tum hospites, aut heros, amato, & honore prosequitor.
Beneuolè, libenter & alacriter iisdem obtemperato.
Mercedem Scholasticam liberaliter iisdem soluito.
Ergà eosdem gratus, quo ad vixeris, semper esto.
Si tenuioris fueris conditionis Præceptori hoc indicato.
Laboret quisque, vt Præceptori scientia, vel par euadat, vel eo etiam superior.

Qui castigandi aut expellendi.

In monendis & castigandis adolescentibus absit remissio & negligentia.
Adsit seueritas absque crudelitate, & absque maledicto vituperatio.
Discipuli à Præceptore forte cæsi, vel admoniti, ne obmurmuranto.
Contumaces ac impij in Præceptorem, in aliorum exemplum cæduntor.
Qui castigati se non correxerint gymnasio statim eiiciuntor.
Qui Præceptores suos contempserint in omni proborũ cœtu exibilantur.

Qui eorundem obtrectatione sibi famam quærunt, turpissimi semper extiterunt, turpitérque non rarò ex hac vita decedunt.

TABVLA X.

Leges in hominum congressu.

De statu corporis.

QVoties te alloquitur quispiam honoratior, sit animus præsens.

Vestis ad decorum componatur, & te in rectum constitue corporis statum.

Aperi caput, sint iuncti pedes, & quietæ manus.

Pileum inter loquendum vtraque teneto manu.

Oculi sint verecundi, placidi, simplices, & in eum semper intenti cui loqueris.

Risus nec frequens sit, nec immoderatus, vt in cachinnum abeat.

De Sermone.

Sermo tuus lentus esto, & explanatus.

Non præceps, vel mentem præcurrens.

Non immodicus, nec nimium rarus.

Non asper quoque vel rusticanus.

Non immodestus, inciuilis vel imperitus.

Interrogatus responde paucis, verecundè, & reuerenter.

Absoluto responso modicè flectes alterum genu.

Honorificum eius titulũ quem alloqueris subinde repetito,

Hunc si forte nescias, ignoti sint domini, & ignotæ dominæ,

Non abeas, nisi aut veniam præfatus, aut ab ipso dimissus.

Postremò, in omni congressu familiari, sermo sit de rebus honestis, aut vtilibus.

Sit

Sit Latinus, verecundus, & liberalis.
Malorum familiaritates, & consuetudines fugito.
Qui secus fecerit castigator.

De Affabilitate.

In Minores prabeto te comem.
Et in Maiores reuerentem.
In pares facilem, ac tractabilem.
Breuiter in omnes, qualem cupis Christum erga te.

De rebus arcanis.

Arcanum tibi creditum, ne diuulgato.
Nec id cuiuis temerè concredito.
Nullius litteras, vel arcam limis intuetor.

TABVLA XI.

Leges de habitu Corporis

De Oculis & Vultu.

Puerorum animus relu- cet potißimum in { *Oculis & Vultu.*

Oculos *igitur habeto Puer verecundos ac placidos.*
Non vagos, aut multum volubiles.
Non stupentes etiam aut limos.
Non innuentes, nec immodicè diductos.
Supercilia *pueri sunto exporrecta:*
Non sublata, aut depressa in oculos.
Frons *hilaris sit & explanata.*
Non torua aut in rugas contracta.
A naribus *pueri absit mucor.*
Qui, cũ est opus, strophiolo excipiatur auerso parũ corpore.

Quod in terram reiectum est, pede est ilico proterendum.
Cum incidit forte sternutatio, corpus ciuiliter auertito.
Deinde pileo sublato, salutanti agantur gratiæ.
Oscitatio *cum vrget, strophiolo aut manu os tegito.*
Mox Crucis imagine se obsignato.
Labrum *inferius superioribus dentibus ne premito,*
Nec superius mordeto inferioribus.
Auersus exspuito, quodque in solum deiectum est, aut pede proteratur,
Aut linteo sputum excipito.
Os tuum quotidie mane aqua proluito.
Impexo Capite prodire caueto.

De Corporis cultu.

Cultus *corporis, nec sordibus esto notabilis,*
Nec luxum, aut fastum præ se ferens,
Nihil is habeat militare; nihil molle, aut dissolutum,
Sed honesto & mundo potius vtitor, quam splendido, vano, aut exotico.
Mediocritas & Decentia plurimum in eo commendantur.

TABVLA XII.
Leges in Mensis & Conuiuiis.
Ante Mensam.

S*I tui sit muneris adornare Mensam, id hoc ordine facere memento.*
Primo, *mensæ imponatur Mappa:*
Deinde, *Salinum,* proximè *Orbes:*
Postremo, *Panes & Pocula.*

Dum

Dum verò aufertur, *hunc ordinem teneto.*

Primum Orbes colligantur.

Posthæc Sal, Caseus, & quidquid spectat ad mensam secundam.

Postremo cum pane remouebitur Mappa.

Iussus consecrare mensam, vultu, manibusque ad religionem compositus, conuiuij spectato primarium.

Benedictionis verbis, & gratiarum actionis attentum sequisque præbeat.

Ad nomen IESV Matrisq; Virginis, vtrumque genu flectito.

In cenaculo summum seruetur silentium, nisi forte loqui necessitas vrgeat.

Cum honoratioribus accubiturus pileum relinquito, nisi forte cuiusquam auctoritas aliud præcipiat.

Ad mensam maiorum, nisi iussus non accedito.

Ibique tum extremo loco standum sedendúmue, retecto capite.

Ad digniorem locum inuitatus, id comiter excusato.

Sed si seriò quis iubeat auctoritate præditus, verecundè obtemperato.

Si tuum sit mensæ ministrare, astabis erectus iunctis pedibus.

Solicitus semper esto, ne quid forte mensæ desit.

Si quid infundendum, tollendum aut apponendum, ciuiliter id facere curato.

In Mensa.

Accumbens verò mensæ, vtramque manum super mensam habeto.

Corpus æquo libramine sit erectum.

A dextris sit poculum, & culter escarius; Ad leuam panis.

Mantile si datur, aut humero sinistro, aut leuo imponito brachio.
Caput inter epulas numquam scalpito.
Cogitabundus in mensa ne accumbito.
Sic te hilarem præbeto, vt semper memineris, ætatem quid deceat tuam.

De Cibo.

Postremus omnium admoueto manum patinæ.
Ex toto disco quod placet, ne eligito:
Sed quod forte ante te iacet sumito,
Si quis cibum porrexerit lautiorem, modestè recusato.
Si instabitur, tribus eum accipiens digitis, gratias agito.
Resecta portiuncula, reliquum vel in discum reponito, aut proximè dato accumbenti.
Quod digitis accipi non potest, quadra memento capere.
Digitos nec ore prælingito, nec tunica extergito, sed mantili.
Integros bolos subitò ne deglutito.
Semesa abs te alteri ne porrigito,
Panem prærosum in ius iterum ne immergito.
Ossa dentibus ne arrodito, sed cultello purgato.
Eademq; post in angulum quadræ tuæ seponito.
Canibus de mensa ne quid porrigito, nec eosdem accumbens contrectato.
Sumpturus Ouum, panem prius frustulatim conscindito:
Cui putamen cultello, non vnguibus, decenter repurgato.
Salem non digitis, sed cultello, quantum est satis, capito.
Si longius abest salinum, porrecta tum quadra sumito.

De Potu.

Si quis præbibet tibi, hilariter illi bene precator.
Si non sitis, labijs cyathum tamen admoueto.
Labra cum biberis mantili seu linteolo abstergito.

Cibum antequam bibas premandito.
Inter bibendum alios intortis oculis ne intuetor.
Nec ceruicem in tergum exhausurus poculum reflectito.
Bis in conuiuio, aut ter ad summum, modicè sorbens bibito.

De Verbis.

Cum maioribus accumbens, non nisi rogatus loquitor.
Compellatus non ante respondeto, quàm cibum deglutieris.
Nec cibum appositum, nec potum vituperato.
Absentium famam, nec istic, nec alibi lædito.
Lepidè dictis non nisi modicè puer arrideto.
Nihil quod offuscet hilaritatem illic effutito.
Si quid à quoquam rusticius dicatur, dissimulato.
Si quid obscœni, quasi non intellexeris, te componito.
Quod dicitur in Mensa, sub dium ne raptato.
Sed inscribendum id vino potius ducito.

Post Mensam.

Temperantiæ & honestatis memor, citra plenam saturitatem corpus reficito.
Cum senseris igitur naturæ satisfactum, sublata quadra flexóque poplite, clam aut salutatis conuiuis à Mensa te subducito.
Mox ad Mensam reuersus, si sit opus, ministrato,
Vel reuerẽter Mensæ assistens, si quis quid iubeat, exspectato.
Emuncturus candelam è Mensa prius tollito.
Quod emunctum est, protinus aut arenæ immergito, aut solea proterito.
Si quid alicui vel porrigendum vel infundendum, læua id facias caueto.
Iussus agere gratias in rectũ corporis statum te componito, vultũq; ad conuiuio præsidentem reuerenter vertito.

Has duodecim Tabularum Leges, quilibet amore honesti potius, quàm pœnæ timore, vt obseruet, curato.

Lex vna generalis.

Omnis honesta & laudabilis consuetudo, pro Lege ab omnibus habeatur & obseruetur.

FINIS LEGVM XII.
TABVLARVM.



BREVISSIMA IN LEGES XII. TABVLARVM Scholia

QVibus certorum librorum indicantur Capità, quę Præceptoribus inexercitatis adhuc, & in hāc docendi prouinciam iam primùm admīsis, ad vtilē harum legum explicationem, & Puerorum studium quàm maximè in litteris & pietate promouendum, adiumenti non parum attulerint, & vtrisque longissimi & optimi commentarij loco fuerint.

IN TABVLAM I.

DEVM in primis litterarū studiosis piè colendum esse, diligendum adhæc, & timendum multis in locis accuratè docet libellus inscriptus, *Thesaurus piarum Institutionum* in vsum pueritiæ Christianæ nuper à Societate Coloniensi pulcherrimè digestus.

Idem non minus methodicè docent *tres Institutionum Scholasticarum libri,* qui nuper etiam ex officina Antuerpiani Typographi Ioannis Belleri in publicum prodierunt.

Ex his duobus potissimum (ne quis Magistrorum fortasis multis coemundis queratur se nimio grauari sumptu) hæc Scholia nostra depromemus, & ne multis adiectis, libellus in librum extendatur, & precium fiat graue discipulis, locum duntaxat commonstrabimus, quibus Pręceptores plerasque leges plurimum queant illustrare, & Discipulis easdem commendare.

In Pueris rectè & piè instituendis, primū omnium Religionis & morū; Deinde Doctrinę & studiorū haberi debet ratio.

Esse autem vana, ne dicam non rarò perniciosa, politiorũ litterarum studia, absque vera & orthodoxa Religione, cum aliunde, tum ex documentis paulò inferius subiectis euidenter & perspicuè cognosci potest.

Ad omnem verã rectam & Christianã Institutionem, plurimum contulerit, inserere statim puerorũ mentibus Timorem Domini, qui, vt Regius Propheta Dauid ait, initium est Sapientię. Qua de re vide Classem tertiam, primam libri tertij Institutionum Scholasticarum.

Ad pulsum igitur campanæ Matutinum, &c. Quid moneat quotidianus ille triplex campanæ pulsus, optimè docebit Thesaurus piarum Institutionum capite 23. Partis primæ, & tertius Institutionum Scholasticarum liber Classe 7.

1 *De sanctorum vita, &c.* Sancti alicuius vitam cognoscere cupiens, consulat Compendium Historiæ sanctorũ Aloysij Lippomani Episcopi Veronensis, vel Laurentij Surij, aut Vsuardi Sanctorum Historiam, vel denique Ecclesię Romanæ Martyrologium, Venetijs nuper per Petrum Galesinum in lucem editum.

Pijs ante omnia, &c. De pijs Precibus & earum attentione: De cauendis in ijs mentis distractione, & aptis remedijs: Denique de corporis in ijsdem situ, vide Thesaurum partis 1. capitibus 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 18.
Et Classem 6. & 5. libri 3. Institutionum Scholasticarum.

Vitæq; & Pasionis, &c. Vitæ & passionis Christi Meditationes maximè salutares suppeditat Thesaurus Partis. 1. capite 27.
Et liber tertius Institutionum Scholast. Class. 4.

Aut alijs sanctorum Patrum, &c. Inter huiusmodi Christianæ pietatis libellos primas meretur ille verè aureus Thomæ à Kempis de Imitatione Christi libellus.
Proximas, libelli Confessionum beati Augustini.
His addas licet exercitationes Nicolai Eschij.
Conciones sacras Adami Sasboldi Delphensis.
Historiam Barlaam & Iosaphat, Ioan. Damasceni.

D. Hiero-

D. Hieronymi Epistolas per P. Canisium selectas.

Horum & similium lectio, regiam docebit viam, quæ nos sola ducit ad æternam cælestemq; Beatitudinem; præ cuius amore & desiderio, meritò sordere debet, quidquid fallax hic mundus, quantumuis excellens, magnificum, aut delectabile pollicetur.

Verbum Dei diligenter, &c. De audiendo diligenter verbo Dei. Thesaurus partis 1. capit. 12.
Et institutiones Schol. libri. 3. Classe 4.

In primis vero sacrificio, &c. Scholia de Missæ Sacrificio, vide proximè sequenti tabula, ibi. *De Missa & pijs sub eadem pracibus.*

De confessione, &c. De modo rectè instituendæ Confessionis, & cordis Contritione.
De certis Confessionis conditionibus, & de medijs emendationis Thesaurus. partis 1. capite. 2.
Et Institutiones Schol. libri 3. Classe 6.
Examinãdæ cõsciẽtiæ ratiõnẽ, Thesaurus par. 1. cap. 2. & 4.
De pœnitentiæ effectibus, Thesaurus, partis 3. cap. 6.
Et Institutiones Schol. libri 3. diuersis Classibus.
De præparatione ante confessionem, Thesaurus part. 1. cap. 5
Et Institutiones Schol. libri 3. Classe 4.
De generalis confessionis vtilitate, Thesaurus part. 1. cap. 5.
De quorumuis peccatorum fuga. Institutiones Scholasticæ libri 3. Classe 6. & sequentibus.

Qui ætatis fuerint, &c. Modum præparandi se ad sumendam S. Eucharistiam. Thesaurus part. 1. cap. 6.
Ibidem de ijs quæ ante & post communionẽ sunt necessaria.
De frequenti communione, Thesaurus part. 1. cap. 7.
De multiplici S. communionis fructu & vtilitate: Institutiones Schol. libri 3. classe 2. & 1.

Nulli hominum obtrectato, &c. De obtrectatione, Institutiones Schol. libri 3. classe 5.
Remedia vero aduersus obtrectationis vitium Thesaurus partis, 2, cap. 4.

Conten-

Contentiones, &c. Remedia contra iram, Thesaurus part. 2. capite 9.

Iusiurandum, &c. Remedia contra pessimam iurandi consuetudinem Thesaurus partis. 2. capite 2.

Turpiloquium & Fornicationem, &c. De fugiendis omnibus luxuriæ incitamentis, Thesaurus partis, 2. cap. 7.

De iisdem, & non legendis Hæreticorũ libris, vidè Institutionum Scholasticarum librum, 1. sub finem.

Remedia ad orthodoxam fidem conseruandã, Thesaurus, partis 2. capite 1.

IN TABVLAM. II.

Templum ingrediens, &c. Precationem hanc. *Aufer à me quæso*, &c. Et reliquas mane, meridie & vesperi à Scholasticis piè legendas inuenies in his nostris Precationum libellis, Antuerpiæ à Ioanne Bellero excusis.
In libello Precationum Scholasticarum. capite 1.
In libello Precationum Liturgicarum, in principio.
In Precationum piarum Enchiridio, capite 1.

Templo conueniunt, &c. Velim legant hoc loco primæ, ac rudioris ætatis Institutores, quæ scripsimus Institutionum Scholasticarum capite, 4. libri 1.
Et Classe 7. & 5. libri 3.

De Missa & pijs, &c. De modo ipsius Missæ quotidie aut certè frequenter audiendæ, Thesaurus part. 1. capite 9. & 10. Institutiones verò Scholast. libri 3. Classe 7.

Breuem quoq; omnium totius Missæ partium explicationẽ vide in Thesauro partis 1. capite 11.

Sacerdoti facturo, &c. De officio ministrantium in Missã Sacerdotibus, Institutiones Scholasticæ libri 3. Classe 7.

Quilibet sub Missa sacrificio, &c. De necessaria pueris orandi consuetudine, Institutiones Scholasticæ libri 3. Classe 6.

Remedia contra Acediam, Thesaurus partis 2. capite 11.

Quæ in Templo legẽdæ Precationes, Institutiones Scholasticæ libri 3. Classe 7. & sequentibus.

Vsum Rosarij seu Coronæ vide in Thesauro piarũ Institutionum

tionum partis 1. capite 21.

IN TABVLAM III.

In utroque Chori latere, &c. De constituendo Corycæo & eius officio, Institutiones Scholast. libri 3. Classe 7.

De Ecclesiastico Cantu, &c. Institutiones Scholasticę libri 2. Classis 6. capite 7.

De Ecclesiasticis Supplicat. quas vulgò Processiones vocãt, Thesaurus partis 1. capite 19.

IN TABVLAM IIII.

Sed libro statim explicato, &c. Dę vtili modo examinandæ in quouis Classe Lectionis, vide

Instit. Scholast. lib. 2. Classis … Capite

Classis	Capite
6	3
5	4
4	3
3	3
2	2
1	2 & 3.

Ediscenda, &c. De ediscendo & excolenda Memoria consule

Instit. Scholast. lib. 2. Classis … Capite

Classis	Capite
6	4
5	5
4	4
3	4
2	4

Hic verò pro delictorum, &c. De puerorum delendis multis, liber 1. Institit. Schol. capite 3.

De lectionibus, &c. Vide in primis librum 1. Instit. Scholast. capite 6. sub finem.

Lectionis verò à Præceptore rectè explicandę rationem legat qui volet

Instit. Scholast. lib. 2. Classis … Capite

Classis	Capite
5	3
3	2
2	2
1	2

In recitanda lectione, &c. Hac de re vide librum Instit. Scholast.

Scholaſt. 2. Claſſis 5. capite 6.

De exercitatione ſtyli, ſcribendiſque nunc Epiſtolis nunc Carminibus vide.

Inſtit. Scholaſt. lib. 2. Claſſis	5	Capite	10
	4		5.6 7.
	3		5.6.
	2		4 5.6.7.
	1		4.5.

Et poſtremò ſcitè, &c. De Epiſtolis alijſque dictatis ſcitè pingendis lib. 2. Inſtit. Schol. Claſſis 6. capite 9 & 10. Et claſſis 5. Capite 11.

De Diſputatione vide

Inſtit. Scholaſt. lib. 2. Claſſis.	6	Capite	6
	5		8
	1		7

Loquendum Latinè, &c. De Latino ſermone perpetuo vſurpando, vide Inſtit, Schol. librum 1 capite 17 adhæc

Inſtit. Scholaſt. lib. 2. Claſſis	6	Capite	8
	5		9
	4		8

IN TABVLAM. V.

Rem verò alienam, &c. De reſtitutione rerum caſu inuentorum, liber 3. Inſtit. Scholaſt. Claſſe 5.

De Societate deligenda, liber 3. Inſtit. Schol. Claſſe 2.

IN TABVLAM VI.

a Preces Veſpertinæ, Meridianę, & Matutinæ petantur ex Precationum libellis de quibus initio Scholij in Tabulam 2.

Vide etiam veſperi incumbendi modum in Theſauro parte 1. capite 24.

De ſtudio Verecundiæ, Inſtit. Scholaſt. lib. Claſſe 5.

De muniendo ſe ſigno Crucis, vide Theſaurum partis 3. capite 2. & 3.

De ſtudio & tota exanimandæ Lectionis ratione, vide librum 2. Inſtit Schol. diuerſis Claſſib. 6.5.4 3, &c. cap. 3. vel 4. Tum etiam libri 1. capite 14.

De pri-

De priuata autem Lectione, vide

Instit Scholast. lib. 2. Classis	5	Capite	13
	4		8 & 9
	3		8
	2		10
	1		10

De Vitando otio, &c. vide lib. 3. Instit. Schol. Class. 2.

De Lectionib. repetendis Instit. Schol. lib. 2. Class. 6. capite 7. & 14.

IN TABVLAM VII.

De exhibenda Reuerentia, &c. De honore Parentum & superiorum, vide Thesaurum partis 2. capite 3.
Item partis 2. capite 12. Numero 3. & 4.

Viris item ac matronis, &c. Vide lib. 3. Classem 5. sub finem.

IN TABVLAM VIII.

De lusu seu studiorum remissione vide Instit. Scholast. lib. 1. capitibus 15. 16. 17. 18. & 19.

In lusu & animi remissionib. adhibenda esse semper aliqua Pietatis virtutis q; incitamenta, docet liber 1. Institut. Scholast. capite 19.

In iisdem & aliàs, &c. Instit. Schol. lib. 1. capite 9. & 17.

Quæ in lusu cauenda, &c. Instit. Schol. lib. 1. cap. 17. & 19.
Et liber 2. Classis 5. capite 9.

De ludis illicitis, lib. 1. Institut. Scholast. capite 19.

IN TABVLAM IX.

Quid suis quisque debeat Præceptoribus, Thesaurus partis 2. capite 3.
Et liber 1. Institut. Scholast. capite 6.

Mercedem scholasticam, &c. De Discipulorum erga Præceptores gratitudine, Institut. Scholast. lib. 1. capite 9.

Discipuli à Præceptore, &c. Institut. Scholast. lib. 1. cap. 21.

Qui castigati se non, &c. Instit. Schol. lib. 1. capite 6. & 20.

IN TABVLAM X.

Quoties te alloquitur. Vide Institut. Scholasticarum librum 2. Classis 7. capite 22.

IN TABVLAM XI.

Mediocritas & Decentia, &c. Institut. Schol lib. 2 Classis 7. capite 22.

Remedia vero contra inanem gloriam, Thesaurus partis 2. capite 5.

IN TABVLAM XII.

De morum Ciuilitate liber 2. Institut. Schol. Classis 7. capite 22.

Ibique pleraque de cauendis in cibi potusque sumptione, Repletione: Remedia verò contra Gulam, Thesaurus partis 2. capite 10.

DOCV-



Documenta non nulla,

quæ studiosis ad Christianæ pietatis institutionem plurimùm conferre queant.

I.

XII Signa proborum adolescentum.

I. *Rebus sacris crebrò interesse cum magna attentione & reuerentia.*

II. *Ad nulla se recipere diuerticula, non amare secessus, aut vllas locorum latebras.*

III. *Nusquam libentius versari, quàm in conspectu Parentum, vel Præceptorum.*

IIII. *Parentes & Præceptores summè reuereri, & increpationem eorum non aspernari.*

V. *Libenter agnoscere suam culpam, nec vllum delictum coram Præceptore inficiari.*

VI. *Malle se potius cædi, quàm mentiendo, vel inficiando Deum offendere.*

VII. *Probis & honestis adolescentibus semper se comitem adiungere, vel socium.*

VIII. *Malorum consuetudinem, colloquia, consilia, non secus, quam pestem, deuitare.*

IX. *Nulli obtrectare, nullum cædere, irridere, lacessere, aut quoquo modo offendere.*

X. *Præbere se domi hilarem, foris compositum, & omnibus affabilem.*

XI. *Quod Scholæ, Præceptori, aut familiæ possit esse dedecori, superiori libenter id indicare.*

XII. *Et cum omnibus, vel multis anteferendus sit, se ipsum tamen præferre nemini.*

II.

Eruditio cum virtute coniungenda.

Eruditio *inter ea bona est reponenda, quæ per se nec laudanda sunt, nec vituperanda.*

Vnde qui eam Virtute coniunxerit, nihil rebus humanis vtilius, vel magis necessarium, nihil præstabilius, gloriosius, vel laudabilius.

Contrà verò Eruditione à Virtute seiuncta, nihil esse, vel fingi funestius, aut perniciosius potest.

Vnde & Fabius de Eloquentia, si vis illa dicendi, inquit, malitiam instruxerit, nihil est publicis priuatisque rebus perniciosius Eloquentia.

Nos ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus, pessimè mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma, non militi.

Mutos nasci, & egere omni ratione satius fuisset, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere.

III.

De gemino, eóque salutari studiorum fine.

Studiorum nostrorum ac Eruditionis, geminus hic finis est { *Honor Dei* & *Salus animarum.* }

Omnis nostra Eruditio eò referri debet, vt ipsius adminiculo ad Dei Seruatoris nostri notitiam facilius ac certius pertingamus.

Eiusque iam cogniti, iustè, piè, & sanctè viuendo honorem, & gloriam pro virili quisque parte promoueamus.

Proximum hinc est, vt animarum salutem, tum in nobis, tum in proximis sedulò procuremus.

Christus

Christus enim non vult talenta singulis concredita defodi in terram, vbi nec nobis, nec alijs prosint.

Sed vult ea diligenter expendi in Dei Patris sui gloriam, & ad salutem proximorum.

Quòd quisquis fecerit, audiet à Domino; Euge serue bone, *quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam,* intra in gaudium Domini tui.

IIII.

Quæ vera hominis Beatitudo.

Vera Beatitudo est {
Deum nosse, *timere, & colere.*
In eius lege versari die ac nocte.
Cælestia semper & vbique quærere.
Humana despicere, & pro nihilo habere.
}

Hæc veræ, & Christianæ Beatitudinis summa est quam *ipse nos docuit Dei filius, quando illos Beatos appellauit, quibus Paupertas, Luctus, Mansuetudo, Misericordia, Benignitas, cordi essent,*

Quod hæc videlicet ad æternam Beatitudinem nos dirigant, promoueant, ac perducant.

Falluntur proinde, qui eam in Honoribus, Opibus, Latifundijs, magnificis ædificijs, aut in bene instructa supellectile, in Otio & mollibus plumis;

Aut in Corporis voluptatibus, ceterisque rebus caducis ludibrióque fortunæ expositis constituerunt.

Qui quidem error nascitur in hominum mentibus ex cæca quadam Iudiciorum deprauatione, quod non talem rem vnamquamque æstiment, qualis ipsa est.

Ex quo multa absurda consequuntur, vt nimirum vilia sectemur tamquã preciosa, preciosa vero, vt vilia reijciamus, vt laudanda vituperemus, & laudemus vituperanda.

V.

Fortunæ bona quî rectè expetere liceat.

Principio, si Diuitias *dicamus, ijs non carere, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria.*

Honorem verum *existimemus, venerationem ob ipsam virtutem.*

Voluptatem *puram ac solidam ex ijs capi, quæ spectant ad animum.*

Nobilitatem, *à bonis prognatam, præbere se quoque ipsorum similes.*

Potentiam ac regnum, *multos habere quibus rectè consulas.*

Eruditionem superuacaneam esse, *nisi per eam vitium cognitũ facilius fugiamus: virtutem vero persequamur, ac teneamus.*

Vitam nostram Peregrinationem, *multis casibus obnoxiam, cui nulla non hora immineat finis, qui leuissimis de causis possit accidere.*

In hac peregrinatione, *quo quis paucioribus implicetur sarcinis, hoc leuius ac iucundius, hoc iter suum conficere.*

Ea verò *humani corporis natura est, vt paucissimis egeat, adeo quidem, vt eos haud dubiè insaniæ damnet, qui tantis laboribus tam multa parare studeant, cum tam paucis sit opus.*

Diuitiæ & possessiones *in vsum tantũ comparantur, quem non adiuuant immensæ opes; sed opprimunt, vt nauem ingentia onera.*

Nec aurum, *si non vtare, à cœno differt, nisi quod magis angit eius custodia, & efficit, vt dum huic vni studes, ea negligas, quæ maximè sunt homini curanda.*

Culta vestimenta, *quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumen-*

ſtrumenta? Vile indumentum excogitauit Neceſſitas, precioſum Luxus: elegans Vanitas.

Suborta iam eſt in veſtitu contentio, quæ multa docuit ſuperuacanea & damnoſa, dum homines ex eo quod informitatem noſtram arguit, etiam honorem captant.

Ita Diuitiarum *pars maxima, AEdificia, Supellex numeroſa & opulenta, Gemmæ, Aurum, Argentum, ornamentorum omne genus, ſpectantium oculis magis comparantur, & exponuntur, quàm poſſidentium vſibus.*

Forma verò ipſa, quid hæc aliud eſt in humano corpore, quàm cuticula bene colorata? quæ, vt floſculi, celeriter marceſſit, vt vel vna febricula, formam, vires, robur, & corporis agilitatem ſæpe numero concutiat, deformet & debilitet.

Honores denique & Dignitates, *quæ ab hominibus vel maximè omnium appetuntur, quid aliud ſunt quàm ſplendida quædam miſeria, & perſonata felicitas?*

Quid ipſæ corporis voluptates? *quam eæ viles ſunt & pecudinæ?*

Quot quantaque mala eæ nobis accerſunt?
Corpori frequenter morbos; animo Pœnitentiam;
Ingenio hebetudinem, menti cæcitatem;
Dedecus adhæc & ignominiam;
Et expertes ſunt nunquam amaritudinis.

Corpus *poſtremò, quo curatius fuerit, hoc animus fere neglectior, quóque mollius habetur, hoc acrius menti reluctatur: Et ſæpe, vt equus delicatè paſtus, ſeſſorem ipſum excutit.*

VI.

Salutares varijs de rebus admonitiones.

Prima Chriſtianæ Religionis *ſemina ſunt.*

Deum *eſſe ſuper omnia metuendum & amandum.*

Qui condidit, restituit, & gubernat vniuersa.

Nusquam non præsens; Nihil non videns, nihil nesciens.

Hunc per Filium *suum Iesum, sibi fidentibus, & ipsius Præcepta seruantibus detulisse vitam æternam, & vtrumque per Spiritum sanctum habitare in cordibus piorum.*

Deum autem, *vt est remunerator omnium bonorum; ita & malorum omnium vltorem esse.*

Itaque nulli perire præmium recte factorum, etiam si apud homines, pro benefactis sæpe redduntur mala.

Neminem prorsus, *quantumuis occulte peccet, Dei vindictam posse effugere, nisi resipiscens, semet illi reconciliet.*

Sic autem inseratur *nomen Iesu mentibus piorum, vt quàm maximè fiat amabilis illorum affectibus.*

Deinde persuadeatur & hoc, *semper adesse Pueris Angelos testes ac spectatores omnium quæ geruntur aut etiam cogitantur.*

Hos delectari *Pudicitia, Modestia, Sobrietate, Caritate, Concordia; Diuersis verò ac contrarijs offendi.*

In quibus verò *ipsi viderint Virtutes has superiores, ijs multa bona conferunt à Deo, quo magis proficiant.*

His proximum, *vt de sacris scripturis, quam reuerentissimè sentiant, in his enim Deum velut ex oraculo perpetuò loqui mortalibus.*

Hanc reuerentiam, *magis imbibent, si viderint sacris codicibus haberi honorem.*

Si consuescant exosculari *codicem Euangelicum.*

Adhæc, si de diuinis Litteris *nunquam fiat sermo per iocum aut per contentionem; sed sobriè, ac reuerenter.*

Discant contemplari *Cælorum ornatum, Terræ diuitem prouentum.*

Fontium scatebras, animantium innumeras species.

Discant

Diſcant quæ *Deus largitus eſt, & largitur quotidie per filium ſuum vnicum, & Spiritum ſanctum.*

Puerorum auribus *inſonandum frequenter, quæ præmia maneant pios, quæ item impios ſupplicia.*

Admonendi, *vt ſæpe cogitent, quid in Baptiſmō profeſſi ſint, ne deſciſcant ab imperatore Chriſto, cui nomen dederunt.*

Adhæc ſedulò *dent operam, vt veſtem quā acceperūnt candidam, immaculatam conſeruent.*

Admoneantur, *inter omnes Chriſtianos arctiſſimam eſſe cognationem, qualis eſt inter eiuſdem corporis membra.*

Ideo ſpectat, *vt conſueſcant omnem Chriſtianum fraterna quadam caritate venerari, ob hoc ipſum quod* Chriſtianus eſt.

Intelligant etiam *Chriſtum, & lædi in ſuis membris, & in iiſdem refocillari.*

Diſcant neminem eſſe, *aut eſſe poſſe miſerum, qui manet in Chriſto, ſiue contingant aduerſa, ſiue proſpera; ſiue mors, ſiue vita.*

In rebus triſtibus *agendas eſſe gratias Deo, qui noſtræ ſalutis cauſa flagellat nos; in lætis non inſoleſcendum.*

Admoneantur, *qualiter ſe gerere debeant erga Parentes, erga Seniores, erga Aequales, erga Inferiores.*

Aſſueſcant non faſtidire pauperes;
Comes ſint erga Pares;
Reuerentes erga Seniores;
Pii erga Parentes.

In horum quemuis *quidquid officii præſtiterint, ſciant ſe Deo fœnerari, cuius præceptis, hæc facientes, obtemperant.*

Exempla virtutum *potiſſimum illis proponantur ex vita Chriſti,*

Christi, Sanctorum Patrum, aliorúmque piorū hominum.

Admoneantur *quàm turpe sit inuidere cuiquam aut irasci.*

Quam honesta res *sit habere linguam parcā, sobriam, ac circumspectam.*

Non temerè *loquendnm, nisi res postulet,*

Nec respondendum *ad quidquā, quod non intelligant.*

Nihil autem turpius esse, *quàm falsa loqui, vel alienæ obtrectare famæ, præsertim absentis.*

Hæc aliáque huius generis erumpent aliquādo in morum egregiam frugem.

FINIS.

